CHARISMA SIVE DONVM SANATIONIS.

SEV

Explicatio totius quæstionis de mirabilium Sanitatum Gratia, in qua præcipuè agitur de solemni & sacra curatione strumæ, cui Reges Angliæ ritè inaugurati, diuinitùs medicati sunt, & quam Serenissima ELIZABETHA, *Angliæ, Franciæ, & Hiberniæ* REGINA, *ex cæleſti gratia ſibi conceſſa, Applicatione manuum ſuarum; & contactu morbidarum partium, non ſine Religioſis ceremonijs, & precibus, cum admirabili & fælici ſucceſſu indies ſanat.*

Auctore Guil. Tookero S. Theol. Doctore.

1 Cor. 12. Verſ. 9.

Alteri fides datur in eodem ſpiritu, alteri gratia ſanitatum in eodem ſpiritu.

& Verſ. 30.

Nunquid omnes habent Chariſmata Sanationum?

Chryſoſtom. Hom. 30. in 1. Co. 12.

Τὶ γὰρ φῇσὶ ἀλλ' οὐκ ἔχεις χαρίσματα ἰαμάτων ἐννόησον ὅτι ὅπερ ἔχεις οὐ πᾶν ἐλάττον ἦν, πολλάκις δὲ τὸ μεῖζον ἔχων οὐκ ἔχει.

Auguſt. Retractat. lib. 1. cap. 4.

Item quod dixi, nec miracula iſta in noſtra tempora durare permiſſa ſunt, ne anima ſemper viſibilia quæreret, non ſic accipiendum eſt quod dixi, vt nunc in Chriſti nomine fieri nulla miracula credantur, nam ego ipſe quando iſtum ipſum librum ſcripſi, &c.

LONDINI

Excudebat Iohannes Windet.

1597.

SEMPER EADEM

RELIGIOSISSIMÆ PRINCIPI ELIZABETHÆ Angliæ, Franciæ & Hiberniæ Reginæ, fidei defensori &c. Gratia & misericordia, & pax a Deo Patre, & Domino nostro Iesu Christo multiplicetur.

NEmo in ciuitate Dei tam peregrinus & hospes est (Sanctissima Princeps) cui sanitatum gratia, & earundem gloria non sit perinde conspicua, ac est Lucerna super candelabrum posita, vt omnibus qui in domo Dei sunt luceat: Nemo in ciuitate Diaboli ita versatus, cui non sub incredulitatis modio abscondita, vel inficiandi ansam, vel indignandi materiam præbeat: Et huic hominum Atheorum nationi, quia & sapiens es, sicut habet sapientiam Angelus Dei, vt intelligas omnia, Responsura est Maiestas vestra pro illo tuo officio pietatis, et sanitatis beneficio cum seruatore nostro, mihi

2 Sam. c. 14. Ver. 20

mihi indignamini quia totum hominem sa-
Mt.7 9.22 num feci in sabbatho? *Tu quæ tot miseros mortales sanas in Sabbatho*, Et si ego digito Dei *morbos* expulerim, *dices, applicatione digitorum meorum strumas sanauerim, & precibus*, certè per-
Luc.11.Ver. 20 uenit ad vos regnum Dei. *Regnum enim Dei in medio regni nostri est, regnaturus nempe est Dei filius in media ecclesia tanquam in meridie recumbens, vsquè ad consummationem mundi, et mirabilium gratiarum multitudinem diffusurus per spiritum sanctum, vt perpetuum & plenum possit esse gaudium nostrum. Immortaliter autem gaudere possumus & debemus isto præclaro sanationis dono, & glorificare Patrem Domini nostri Iesu Christi, qui talia dona dedit hominibus, præcipuè christianis regibus, tibiq; Insularũ ac Oceani Reginæ maximæ: Vestra etenim* Maiestas *longa regum Christianorum progenie orta ac Christiano lacte alta & enutrita est, maioresq; multis retro actis sæculis iam inde ab Eduardo Rege Confessore isto mirandarum curationum genere cæteris Principibus antecelluerunt, & quod verisimilius est a primo Christianitatis tempore, sanandi charisma immediatè a Deo ipso acceperunt. Vni autem morbo vniusmodi medicandi facultatem, prosapiæ Regiæ vni dedit Deus, quia vnicuiq; dedit proprium donum, vel vt vna medela prodesset vniuersis, id est vniuersitati fidelium,*

lium, vel quia vnicè dilexit progeniem Regum Anglorum, vel quia vnius Maiestatis vestræ sceptrum florentiore indies gratia condecorauit. Posse quidē & velle dare illiusmodi munerū præstantiam, eundemq; dominum reipsa donare ecclesiæ suæ liquidò constat, qui enim res salutiferas hominesquè opitulantes veteri ecclesiæ ac Synagogæ concessit, quid opinabimur daturum ecclesiæ suæ quam redemit, cui augustiores promissiones factæ sunt? et qui rebus inanimatis, & elementis, lapidibus gemmisquè influentem quandam gratiā indiderit, nunquid viuis lapidibus ecclesiæ suæ, regibus & reginis non tam alumnis, quā nutritijs parentibus præsertim tā fulgenti gemmæ fideiquè adamanti, (qualis est tua Maiestas) *imparem gratiam denegarit? Et qui in prisca ecclesia in eremo serpentē Æneū ictis a serpētibus sanitatis adipiscēdæ symbolū, et in tempore synagogæ* probaticam piscinam *valetudinis recuperandæ quasi temporarium sacramentum condonauit, quorū alterum ex Dei iussu Moses fecerat,* Numer. 21 Ver 9 *idquè Rex Ezechias postea* Nechushtanem *dictū confecerat, alterum Angelus domini secundum tempus diuina virtute infecerat, vt* qui prior descendisset in piscinam post aquā agitatam, sanus fieret a quacunque detenebatur infirmitate, Ioh. 5 *An defuturus est vnquam populo suo populiq; primoribus ecclesiæquè partibus præstantissimis? iam*

Malach. 4. *enim inde a ſole iuſtitiæ illuceſcente (oriturus erat ſol iuſtitiæ ex prædictione Malachiæ, & ſanitas ſub pennis eius) ſanitatum gratia longe lateque diffuſa reſplēduit, et a primæuæ eccleſiæ ætatibus, et priſcis fidei heroibus,* per totum orbem in locis ſanctis quæ frequentat noſtra communio, antiquarum ſimilia ſigna virtutum nunc temporis frequentantur, *vt loquar cum Auguſtino: quæ niſi ita multa et magna fatear, vt ea vix cuiuſquam mens capere poſſit, Amens certe ſim. Quæ quidem ſi pauciora eſſent, non raritas claritatem, nec paucitas magnitudinem tolleret, ſed cum numerus ſit ingens ſanitatū præſtitarum abs Maieſtate veſtra, et in curandis ſtrumoſis ſumma celebritas, quis eſt tam male ſanus mente, vt ſanitatis ſymbola & luculenta documenta inficietur? Legunt certe homines, & non illibenter credunt quæ Ariſtoteles vel Theophraſtus de admirandis auditionibus retulerit, quæ Plutarchus in philoſophia, in hiſtoria litteris prodiderit de Pyrrho, & Cornelius Tacitus de Veſpaſiano, quorum alter cæco lumen claudo greſſū*

Tertull. apolog. c. 22. *reddidit,* qui morbi erāt a diabolo inſidente in oculo vnius, & alterius tibia impediēte vſum eorum membrorum, idque eum in finem, vt videretur ſanare cum deſineret nocere;

Plutarch. in vit. Pyrrhi. *alter* τοῖς δὲ σπληνιῶσιν ἐδόκει βοηθεῖν id eſt ſpleneticis auxiliari videbatur albo Gallo pro victima mactato

mactato, & resupinis ipsis dispositis, vt dextro pede leniter premeret viscus siue regionem splenis, neq; quisquam erat tam pauper, aut tam ignobilis, qui hanc medelam exposcẽs nõ obtineret ab eodem Pyrrho: fertur etiam dextri pedis maiorem digitum vim diuinam habuisse. *Et hæc quidem æstu & fastu impurorum spirituum factitata, et credunt & legunt apud prophanos scriptores: Quanto autem credibilius & veracius* Maiestatis *vestræ factum putent, quæ nihil facis nisi quod* animam sanctam, puramque, & afflatam diuino spiritu decet, *& fausto fœliciq; successu semper facis: Tua enim* Maiestas *geminis honoribus fulget, et religionis gloria, et sanationis gratia diuina, nec tam alterius requiris sapientiam,* vt Regina Austri, *quàm propter sapientiam ab innumeris alijs requireris, nec vnius generis splendore potius quàm infinita laude abundas. Magna & præstabilis laus* Marcomannorum *illius Reginæ* Fritigildis, *quòd pro fidei catechismo scripserit ad Ambrosium, maior et amplior tua laus, quod ea doctrina excoleris, et imbueris pietate, et catechismũ pro alijs conscribere possis: singularis quædam laus* Mauuiæ *Reginæ, quod ipsa Christiana Sarracenis imperaret, tua incredibilis gloria, quòd Christianis Christianissima, et pietate & præsis et prosis.* Placillæ Augustæ excellens

Orig. c. Cels. l. 2

cellẽs præconiũ, quod nunquã destiterit diuinas leges Theodosio Imperatori marito in mentem redigere, Tua augustior commendatio, quòd virgo & tibi ipsi, & Christianæ plebi Euangelicas sanctiones semper in memoriã refrices. Monegundis *Reginæ admirabilis existimatio, quòd multos energumenos et ægrotos curauisset, tuæ* Maiestatis, *quod innumeros indies morbosos sanes in sanctitate ecclesiæ ac personæ, quæ propter vnctionẽ Regiã sacrosancta est. Equidem regibus ritè inunctis, et cõsecratis plura et maiora quædam dona, et diuiniora tributa esse, et cœlitùs in eorum mentes delapsa, semper sum opinatus cum Eliu illo vetere Theologo: primùm quod* ipse Deus Reges in ampliſsimo gradu dignitatis locet, *et tanquã sua manu in solio sublimi collocatis* iudicium det, *eisdemq;* vt leges condant, et iusta decernant, *suppeditet, Addo amplius Regum linguas, et labia, et manus, et corda erudiri a Deo:* Diuinatio in labijs regis, in iudicio non errabit os eius, *multo minus cor, cum regitur et dirigitur a Domino: sicut* diuisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini quocunque voluerit, inflectet illud, *porro* cœlum sursum, & terra deorsum, & cor Regis inscrutabile *alijs, soliquè Deo apertum, qui scrutatur corda et renes. Quod si* multitudo sapientum *(consiliariorum)* sanitas est orbis terrarum, *mul-*

Iob 36

Prou. 16

Prou. 21

Sap. 6. v. 26

tò

tò magis Rex ſapiens firmamentum ac baſis po- Eccleſ. 8. v. 6
puli eſt. Ego obſeruo os Regis, (*inquit Ec-*
cleſiaſtes) *obſeruemus ſi placet, reperiemus pro-*
fectò Reges omnes pati aliquid diuini, Deum-
que immediatè tangere, & commouere eorum
corda, quod nõ modò verum eſt in Dauide, qui penè
familiaris erat deo, & in Solomone qui dei iudiciũ
exercuit, & quæſtionem arduam terribili iudicio
diſſoluit, iubendoq; ſectionẽ pueri, ceſſionem matris
falſæ coercuit, & in Ezechia & alijs qui ad ipſum
deum in oratione ſeſe conuerterunt (vnde dicitur
dominum ijs ſemper adfuiſſe) verum etiam in plu-
ribus animaduerſum eſt, vt in Conſtantio, ſub cuius
Imperio, Euangelicæ Lucis crepuſculum apparuit,
ſicut ſolarium radiorũ fulgor ſub Conſtantino dif-
fundebatur, qui quidẽ cũ publicè inſcripſiſſet in de-
dicationibus ſuis, inſtinctu diuinitatis *quia Ro-*
mæ ſenatus erat parum Chriſtianus, & ipſe infimi
ordinis Chriſtianus tantummodò, poſteà intellecta
re tota, & illius tituli ratione perſpecta, omnia dei- Euſeb. in Vit. Conſtant.
tatis opera adiutus & auxilio cœleſti ſubnixus mo-
liebatur contra Ethnicos & prophanos. Quemad-
modum & Conſtantinus noſter, pater tuus inclytæ
memoriæ Henricus octauus, cum oblatum ſibi Ti-
tulum defenſoris fidei *recepiſſet, re ſeria aduer-*
tens quantum ſibi pondus gloriæ aſſeruaretur in
cœlis, ſi fidei defenſorem & propugnatorem præ ſe

ferret in terris, repentè spiritu planè Heroico ad Religionis causam prouehendam, & superstitiones euerrendas exarsit; quod ille instinctu diuinitatis magna cum admiratione orbis terrarum præstitit. Idipsum in fratre tuo Eduardo sexto Rege, altero huius ætatis Gratiano meminisse poterint omnes, qui, vt olim Gratianus gentilitiarum superstitionum hostis acerrimus, titulum & stolam pontificiam aspernabatur; sic neque minimam falsi cultus vmbram ceremoniamuè fucatam Religionis pontificiæ, in ecclesia dei etiamnũ puer patiebatur. Multa injciuntur Regum mentibus, quæ nemine cõsultore nisi diuino numine et ingrediũtur, et suscipiunt: cuiusmodi erat id politeuma Eduardi tertij, quo Authore de concilij Anglicani sentẽtia lex lata est, quæ vetuit cunctos mortales in posterum impetrare sacerdotia, à Romano pontifice, aut causas nisi per appellationẽ ad eundẽ deferre, & constituit pœnam immanem contra facientibus, & ijs qui talia committentibus adiumento essent, quod posteriores Reges puniendo seueritate multò semper terribilius reddiderunt, quæ lex (deo ipso docente & demonstrante) promulgata esse videtur; quia maius quiddam erat, quam vt ab homine scriberetur. Et quia domesticis exemplis abundamus, arbitror multa consilia ab inspiratione diuina fluere, & recludi in Regum animis, ac pectoribus, quantumuis Reges

Polid. l. 19. hist. angl.

Lex prouisionis siue de præmunire.

ipsi

ipsi non tam benè cordati visi sint. Ferunt Richardum secundum, qui illis temporibus consilij inops putabatur, nemine suggerente nisi diuina prouidentia, magnum Angliæ sigillum, quod est Cancellariatus officij insigne Honorarium, multis præteritis Guilielmo Wicchamo Antistiti sapientissimo, subito motu ingenij, non sine Deo tradidisse: & de Henrico sexto memorabile illud est, qui vere sanctus Dei existimabatur, quasi a Deo esset doctus, prædixisse aliquando de auo tuo nobilissimo & prudentissimo Rege, longe antequam res illa, vel leuicula suspitione attingeretur, inexplicabilem illam controuersiam ambarum familiarum Lancastrensis et Eboracensis dirempturum, et Regno potiturum fore: cuius propheticum et Regium auguriũ fœliciſsimus euentus (Deo dispensante) comprobauit: Vt taceam de alijs, de tua Maiestate certum est, facere te multa consilio et auxilio diuinitatis, non enim secundissimo cursu progrederentur res tuæ, annorumq; ferè quadraginta decursu, nec auspicaretur Maiestas *tua semper meliora sine eodem Numine, nec tot sanitates faceres iam diu, nisi cum Elia dicere potuisses:* O Domine Deus Abraham, Isaac & Israel, hodie innotescat te esse Deum in Israele, & me seruam tuam, quæ ex verbo tuo feci omnes res istas. *Quamobrem magnopere hortor* Maiestatem *tuam, vt quod li-* 2. Reg. 6.

benter studioseq; facis, etiam constanter facias, in strumosis innumeris releuandis, quam tibi personã vnctio sacra, et cœlestis prouidentia imposuit, cuiusque reuerentiam euentuum admirabilitas sanxit, et tanquam a communi parente multitudo credentium, quasi suo iure morbi medelam poposcit. Credere autem par est propter confessionem strumaticorum, et medicorum relationem, & libellorum recitationẽ in plebe Christiana, & vniuersitas generis humani creditura est (opinor) cum nuper in Tabulis Geographicis & Hydrographicis depictã vidimus, & exaratam salutiferæ huiusce sanationis historiã, et quasi consecratam memoriam oculis contemplati sumus. Quæro enim ab inuidis, qui alienæ tam piæ qualis est Maiestatis tuæ, industriæ modum statuere vel diffidere ausint: vel est sanitatis beneficium aduersus strumosos præstitum, vel non est? Si non est, cur ab omnibus exposcitur indigentibus, & nostratibus, et exteris? si est, cur non ab omnibus approbatur, & videntibus, & inuidentibus? Rursus vel est fucata sanitas, vel nõ est? si est, Deus hũc obduxit fucum: Tu Deus decepisti nos, quod blasphemũ est dictu, (fucatæque & falsæ sanitates sunt Georgij Roani, ciuis Londinensis, et Iosiæ Snoei facultatum Scribæ, & innumerabilium, qui obuersantur nobis ante oculos, quos in tabulas relaturi sumus, deo fauente) semperque falluntur

Iodocus Flandr. in descript. siue tab. orbis terr.

sensus

ſenſus, quod abſurdum eſt dictu: ſi non eſt, omnibus grati animi officijs poſt præpotentem deum tua colenda eſt Maieſtas, quod optimum eſt factu. Denique vel extiterunt conſimiles curationes, vel non extiterunt in Eccleſia? ſi non; peribit omnium (qui Hiſtoriam eccleſiaſticam ſcripſerunt) fides, quorum conſenſio lex veritatis propè putanda eſt, & communis experientia neganda eſt, quæ nonnulla ſanandi chariſmata vigere, etiam hodiè in media plebe conteſtatur, ſi fuerunt, veriſimile eſt & hanc mirandam Sanationem obtinere. Poſtremo vel non poteſt deus, vel non vult per ſe, vel per inſtrumenta nobilia potentiæ, ex virtutis diuinæ aſſiſtentia talia admittere? ſi primum detur, repugnat diuinitatis poteſtati, quòd dextera altiſſimi contrahitur, vt non poſsit quando vult miraculoſam ſanationem facere, apud quem omne verbum non erit impoſsibile, *ſi ſecundum, repugnat promiſsionis veritati, cui totus mundus nequit reſiſtere:* Qui crediderint, ſuper ægrotos manus imponent, & benè habebunt, & ecce ero vobiſcum vſque ad conſummationem mundi. Chariſmata autem eius talia ſunt, vt eum pœnitere ipſorum nec poſsit, *nec velit*, eritq; deus glorioſus in ſanctis, & admirabilis in ijs qui crediderint. *Sed quid ego lõgius prouehar, aut ego te illuſtriſsima princeps, indoctior*

Luc. 1. 6. 37.

Mar. 16.

Rom. 11. 29.

Mineruam doceam : Tua Maiestas potius in doctissimorum virorum auribus ista melius & diuinius commentari & poterat & debuerat, Sciolos autem Zoilosue, Æmulosue gloriæ istius ne hylum pendere oportet. Oportet te (sanctissima princeps)
1. Cor. 12. *intueri teipsam, & altitudinem gloriæ tuæ, oportet te Zelari meliora charismata, & spiritualia, & maximum & præstantissimum charitatis Christianæ donum. Hoc te percharam deo esse ostendit, & charitate ciuium tuorum cunctis orbis terrarum principibus longe chariorem. Equidem compreca-bor deum opt. max. qui te isto beauit Sanationis munere, vt perpetua te ornet salute, soliumque tuum ingenti pondere gloriæ, æternaque cumulet fœlicitate, tanto plures dies fœlices, annosque faustos imperio tuo adiecturus, quanto tu pluribus strumosis medeberis.*

Prid. Id. Ianuar. Anno Salutis 1597.

Sacratissimæ Maiestatis vestræ

Humillimus Capellanus

Guilielmus Tooker.

DECEM CAPITA huius Libri ſequuntur.

AN ſit chariſma ſanationis, & cui bono & fini datum ſit? cap. 1.

Quid & quale donum ſit, & quoties & quando eo vti datum ſit. Cap. 2.

Circa quod ſit, an circa morbos naturaliter curabiles, vel non curabiles? Cap. 3

Quandiu extiterit, & an ab vltimis tẽporibus aliqui ſemper vſq; ad Hodiernum diem mirabiliũ curationum gloria floruerint. Cap. 4

Penes quos qualeſue perſonas ſit hæc ſanandi gratia hoc in tempore. Cap. 5.

An ſingulari aliquo dono Reges Angliæ claruerint, & an Sereniſſima Angliæ Regina Elizabetha hac ſanationis gloria omnibus præluxerit principibus exteris, & maioribus ſuis. Cap. 6

De

Index.

De modo & forma ſanandi, vel de operatione ipſa, vbi de ſimplicitate, caſtitate ceremoniarum ac rituum in ſanandis ſtrumoſis ac de pitetate, eleemoſyna, humilitate principis. Cap. 7.

De certitudine effectnũ & euentuũ admirabilitate in ijs qui ſanitatẽ adepti ſunt. cap. 8

Dilutio obiectionum, vbi reſpondetur dubitationibus quorũdã, cõtradictionibus Atheorũ vel Sadducæorũ nouorum, calumniationibus inuidorum & Phariſæorum. Cap. 9

Votum Authoris pro ſalute & incolumitate ſereniſſimæ eius Maieſtatis. Cap. 10.

THESEIS

THESEIS SINgulorum Capitum subsequuntur.

Cap. 1.

ORigo doni sanationis probatur ex 1. Cor. 12. alteri gratia sanationis. 1. Cor. 14. ver. 6, & 26.

Nunquid omnes habent dona sanationum?

Primus huius doni author Christus, qui eo vsus est, deinde Apostoli, apostoliciq; viri in ecclesia primæua.

Explicatio loci illius Math. 17. 22. ver. Amen dico vobis, si habueritis fidem &c. Et nihil impossibile erit vobis.

Explic. Marc. c. 16. ver. 15. Qui autem crediderint in nomine meo &c. super ægrotos manus imponent, & bene habebunt.

Promissionis eius perpetuitas: Et ero vobiscum vsquè ad consummationem mundi. Finis & eius vsus.

Cap. 2.

Definitio huius Charismatis.

Probatur eius diuturnitas aliquo in gradu mensura & loco.

Comparatio eius cum dono sapientiæ, scientiæ, fidei, generum linguarum, interpretationis linguarum, quæ

ſunt habitus permanentes, ſimilitudo eius ac comparatio cum facultate virtutum edendarum, prophetia & diſcretione ſpirituum.

Diſputatur vtrum ſit potiùs habitus permanens, quam habitus tranſiens?

Oſtenditur & donum & vſum eius frequentari, quando ſpiritui ſancto viſum eſt, quod pari ratione oſtenditur in Proph. Energem. diſcret.

Probatur ordinariè non fieri vlla miracula, vel miraculoſolas actiones quando volunt homines, ſed quando vult Deus impellere.

Vnde proueniat ſanitas? & per quam cauſæ efficientiam.

Vtrum ex virtute creata inſidente in homine, an ex virtute Dei aſſiſtente? probatur ex aſſiſtentia, & obiter de ſanitatis effectione, qua ſereniſsima Maieſtas vtitur.

Cap. 3.

Eſſe naturaliter curabiles morbos, ſiue Epilepſiam, ſiue Hydropem aut dyſenteriam, aut ſtrumam probatur, ferè tamen deploratos & incurabiles eſſe, quos Chriſtus, Apoſtoli, Apoſtolicique viri curabant, aliique deinceps Chriſtiani.

Demonſtratur morbum poſſe eſſe naturalem, curationē ſiue rationem ſanandi miraculoſam.

Diſcrimen naturæ & miraculi oſtenditur ex Auguſtino.

Cap.

Theſeis.

Cap. 4

Diuturnitas doni ſanationis aliorũq; Chariſmatum probatur in eccleſia.

Ex teſtimonijs Irenæi, Tertulliani, Origenis, Euſeb, hiſt. eccleſ. Baſilij, Ambroſ. Hieronim. Auguſtini, variis & exempl. Gregor. Thaumaturg. Hilarionis & aliorum.

Locus Auguſtini retract. lib. 1. cap, 4. & c. 14. Non ſic accipiendum eſt quod dixi, quod in Chriſti nomine fieri nulla miracula credantur.

Et hoc autem dixi, quia non tanta nec omnia modò non quia nulla fiunt etiam modo.

Locus Auguſt. de vnitate eccleſ. c. 16, explicatur in locis ſanctis per totum orbem, quæ frequentat noſtra communio, tot & tanta mirabilia exauditionum & ſanitatum fiunt miracula.

Locus Auguſt. c. 8, lib. 22. ciuit. clariſsimus citatur: Antiquis ſimilia diuinarum ſigna virtutum etiam noſtris temporibus frequentari.

Mos tempore Auguſtini libellorum dandorum, ab ijs qui ſanati erant.

Miraculum ſanitatis præſtitæ ab Auguſtino, narratur a Poſſidonio, paulo ante mortem Auguſtini: vade ad Auguſtinum Epiſcopum.

Miraculorum frequentia in puritate eccleſiæ, & vſq; ad ſexcenteſimũ Chriſti annum, ex fide hiſtor. eccleſ. S. Proſper. Theodoret. Sozomen. Socrat. Euagrio, Nicephoro, Beda Angloſax.

Theſeis.

Miraculoſæ curationes in Anglia Anno 429. Theodoſ. et Valentian. Imper.

Teſtimonium Gregorij magni pro mirabilibus effectionibus, Hic plærumq; aſpicimus ſanctos viros mira agere, & tactu ægritudinis corpora ſanare.

Recenſio quorundam qui ſanitates operabantur in eccleſia poſt tempora Gregorij, & mirabilium effectionũ in ſuccedentibus ætatibus ac magis deprauatis.

Cenſura de miraculis Auguſtini, & ſociorum Oſualdi, Regis, Cuthberti, Tharaſij, Eduardi Regis, & Virg: S. Bernardi, Thomæ Aqu. Antonij, Celeſtini Papæ, Antonini & Alior.

Miracula fidei analogiæ repugnantia reijcienda eſſe.

Complura miracula negligentius eſſe ſcripta.

De toto genere quid ſtatuendum ſit, nec omnibus vtpotè veris, nec aliquibus vtpote fictis credendũ eſſe, media via incedere oportere.

Locus Auguſtini cõtra mirabiliarios in Iohan. tract. 13. de impoſturis, & ſeductione plebis Chriſtianæ, per falſa & ficta miracula.

In media eccleſia fieri debere miracula.

Miraculorum diuturnitas probatur ex recentium perindè ac veterum authoritate.

Tam externa quam interna miracula non ceſſare, ſed donum non perinde commune eſſe oſtenditur ex Centurijs Magdeburg.

Non eſſe neceſſe vt externa miracula iterentur in vno & eodem genere.

Satis eſſe ſi maneant in hoc vel illo genere.

Eſſe donum miraculoſarum effectionum ſingulare, ſed non

non vulgare eſſe.

Cap. 5.

Penes ſanctos viros & bene cordatos eſſe donũ ſanandi, & patrandi miracula, ſiue laicos ſiue clericos.

Oſtenditur ex Gregorio, pulchritudinem operum exteriorum oſtendere, quales apud Deum ſunt interius, quia de eis foràs oſtenditur, quales apud omnipotentem Deum interiùs habeantur.

Antichriſtum & Antichriſtianos, & Hæreticos, etiam Ethnicos facere prodigia & ſigna magna, & non vera miracula.

Talia miracula fieri aſtu & faſtu impurorum ſpirituum mendacia & fallacia, cuiuſmodi erãt Veſpaſiani miracula, & magorũ, & Attij Næui, & aliorum Auguſtinus lib. 10. ciuit. c. 9 & 16.

Nulli miraculum dari extra eccleſiam catholicam.

Si quod fit miraculum ad eccleſiæ catholicæ veritatem cedere oportere.

Non omnium ſanctorum eſſe facultatem patrandi miracula probatur ex Auguſtino.

Non eſſe deteriorem conditionem eorum qui miracula nulla faciant.

Regulam, ſiue normam miraculoſarum effectionum dat Auguſtinus. Si Deus dedit, fac, obtulit enim vt facias.

Cap. 6

Probabile & verum eſſe ex locis Eſayæ c. 58. ver. 8. Eſay. 60. ver. 4. & Eſay. 49. Reges & Reginas nutrices

nutrices eccleſiæ abundare miraculorum aliqua gloria.

Diuerſa dona dari hominibus, Principibus Chriſtianis quædam peculiaria, & ſi Ethnicis, multo magis Chriſtianis.

De dono Regum Angliæ & Regum Franciæ.

Regem Edouardum Confeſſorem claruiſſe docetur iſto munere ſanationis ſtrumæ, & hæreditarium eſſe donum omnium Regum Angliæ ritè inauguratorũ.

Reges Franciæ vel eodem, vel conſimili dono ſanationis gaudere, ſed multo poſteriores eſſe in poſſeſsione eiuſdem Regis Franciæ, quanto Clodoueus Rex poſterior fuerat Lucio Rege in conuerſione ad fidem.

Elizabetham Reginam cæteris omnibus antecellere hac gloria.

Sereniſsimam eius maieſtatem oriundam eſſe Regibus, & vere vnctam a Domino comprobatur ex vſu, & exercitio huius doni.

Calumniam, pſeudocatholicorum in ſeipſos retorqueri, qui eius maieſtatem prætenſam Reginam vocant.

Ex confeſſione eorum conuincitur ſereniſsimam eius maieſtatem eſſe legitimam principem, quia hoc dono præfulgeat.

Maieſtatem eius plurimi facere eccleſiam, ſcripturas, Sacramenta, ceremonias, miracula vera.

Pſeudocatholicum quendam faſſum fuiſſe virtutem ſanitatis in ſeipſo oſtenſam.

Cap.

Theſeis.

Cap. 7.

Modus & forma, ſiue operatio ſanitatis vacat omni ſuperſtitione.

Caſtimonia ac ſimplicitas ceremoniarum in ſanandis ſtrumoſis laudatur.

Recitatio liturgiæ ac precationum communium, ac etiã orationis pro ſalute ſtrumoſorum.

Comparatio ceremoniæ lotionis pedum cum dono ſanationis.

Alterum eſſe pietatis officium, alterum beneficium.

Charitas, Eleemoſyna, pietas, humilitas principis ad imitationem proponitur.

Cap. 8.

Certitudo effectuum & euentuum admirabilitas oſtenditur.

Libellorum recitandorum ad populum ratio ineũda eſt.

Multitudo ſtrumas patientium curata precibus & impoſitione manuum principis, ex omnibus regni partibus.

Nomina & cognomina quorundam Scrophulariorum qui valetudini reſtituti ſunt.

Ingenua & modeſta confeſsio Regiæ Maieſtatis, vnde auxilium proueniret & medela huic morbo.

Vtrum omnes vniuerſim curentur, quos tangit eius maieſtas, et quid in cauſa ſit ſi aliqui minus releuantur.

Locus Iacob. c. 5. ver. 14. explicatur.

Locus Chryſoſtom. 20 hom. in 12. Rom. explicatur: tantum influit quantum inuenerit ſibi oblatum vaſculum fidei:

Cap.

Theſeis.

Cap. 9.

Diluuntur obiectiones nouorum Sadducæorum.

Obiect. eorum qui ceremonias vituperant.

Aurum appenſum nihil eſſe aliud quam ſanitatis ſymbolum inchoatæ & eleemoſynæ ſacræ monumentum.

Crucis ſignum non eſſe faſtidiendum.

Crucis abuſum accuſandum potius eſſe quam vſũ legitimum.

Verbum Dei eſſe veré alexipharmacum.

Scripturæ lectionem ſolennem & recitationem duũm locorum ex Euangelij Iohannis, cap. 1. & Mar. 16. ad memoriam inculcandam ſalutis animæ ac corporis conferre.

Nouos Sadducæos negare hoc ſanationis donum.

Refutatio dubitationis G. Peuceri & ἀκαταληψίας.

Refutatio Augerij Ferrerij commenti de forti imaginatione ex libro 2. Method. cap. 11. de Homerica curatione.

Beneficium ſanitatis eſſe poſitum non in natura, ſed gratia, non in potentia hominis, ſed omnipotentia Dei, non in humana confidentia, ſed in ſpecialis miſericordiæ fiducia.

Reſpondetur opinationi temerariæ Genebrardi.

Refellitur calumnia Cæſaris Baronij.

Non eſſe vmbratilia miracula diuini fauoris ac gratiæ, miſericordiæ ac prouidentiæ, ac ſanationis hodié in Anglia.

Cap. 10.

Concluſio & votum Auctoris pro ſalute principis: cum precatione omnibus horis dicenda pro ſereniſſima Elizabetha Angliæ Regina.

CHA-

CHARISMA, *SIVE DONVM Sanationis.*

Cap. 1.

CHARISMA SANA- *Iacob.1.*
tionis est præclarum & singulare donum homini diuinitùs collatum, sicut *omne bonum donum, & perfectum datum*, profluens à perenni scaturigine mirabilium gratiarum: quod quia non tam humana, quam excellenti & diuina ratione constat, nemo vnquam prorsùs vel negando perfidè, vel dubitando occultè ausus est conuellere: Sed an omnium temporum, omniumque personarum fuerit an intermissum aliquandiu, an remanserit apud certos mortales, similitudinem nè aliquam hodiè præ se ferat cum illo Apostolicarum curationum genere, vtrumuè ab Apostolis, Apostolicisuè viris, tanquam à summis ecclesiæ magistris ad eorum discipulos, & ab ipsorum discipulis ad alios Christianos traduci oportuerit: Sitne habitus, hoc

 est

est quiddam stabile & permanens, vt sapientiæ munus, & scientiæ donum; an denique motio transiens (vt loquuntur scholæ) cuiusmodi *pro-*
1.Cor.12. *phetia, vel facultas virtutum edendarum, vel vt* διάκρισις, *id est dignotio spirituum*, & scitu dignum est, & operæpretium cognoscere. Ordiamur igitur rem maioribus theologicarum musarum primordijs: Non enim omnes omnia, sed certi pauca, & pauci magna habent differere, quicquid habent in tam difficili & ardua materia. Mihi verò quod sacra scriptura, quod patrum auctoritas, quasi diuina suppeditabit virgula, & opere necessarium, & opportunum tempore ad tam grauem quæstionem explicandam non verecundabor adducere in medium. Principio itaque existimandum est de hoc eximio & præcellenti dono, quod de reliquis præstãtibus spiritus sancti
Ephes.4. donis *vnicuique nostrûm datam esse gratiam secundum donationis* Christi mensuram, Christum autem dimensum fuisse tantum quantum ad præsidium stabilitatis, & ornamẽtum dignitatis ecclesiæ conduceret: Cum autem totam ecclesiam, totiusque partes, & partes partium ornatissimas
Psal.69.v.19. esse vellet, Ascendens in altum Christus Dei filius quæ acceperat à patre dedit dona hominibus; distribuit autem, & dedit pauperibus, cumque multa vtiliter & salutariter distribuerit, tum *hoc*
Mat.25.v.16. *vnum quasi ex illis quinque talentis*, curandi donum quasi talentum vnum ex illo infinitarum
1.Cor.12. opum aceruo, vel potius thesauro, dilargitus est

Apostolus

Apoſtolus in varia genera diſpertitur ſingula: *Sunt autẽ diſtributiones, vel diſcrimina gratiarũ idem autem ſpiritus & diſcrimina miniſtrationũ ſunt, idem autem Dominus, & diſcrimina, vel diſtributiones operationũ idem autem Deus: vnicuiq; datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem*, videlicet aliorum, vel ſui ipſius: vel enim ſeipſum Deo adiungat oportet, vel coniungat alios. *Vni igitur per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alij autem ſermo ſcientiæ ſecundũ eundem ſpiritum, alij fides in eodem ſpiritu, alteri gratia ſanitatum in vno & eodem ſpiritu, alij operatio & facultas virtutum edendarum, alij prophetia, alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio earundem: hæc autem omnia operatur vnus & idem ſpiritus.* En pulcherrimam ſeriem quam texit Apoſtolus: Ab vnitate ſpiritus deducitur hic ſpiritualium gratiarum ternarius, quia diſtributio terna eſt; ſed tamen reductione opus eſt: Innumerabiles enim gratiæ reuocantur ad nouem. Numero enim nouem ſunt, ſi quis ſuo diſcrimine ſeparare velit, in tres diſtributiones diuiſæ ſunt omnes, non quod omnia quiſquam Chariſmata obtineat. Nemo potuit ſic gloriari ſe accepiſſe omnia, nemo ſic cõqueri ſe accepiſſe nullum. Vni ſermo ſapientiæ conceditur, vni ſcilicet Chriſtiano, vel hæc, vel illa gratia, ſed vni Chriſto omnia à patre affluentiſſimè conceſſa ſunt, vnuſque ſpiritus à patre & filio procedens per canales gratiæ in gremium eccleſiæ infudit omnia, de quibus loquitur Apoſtolus: *Nolim vos ignorare* 1.Cor.12,v.31

fratres, quæ consectari decet spiritualia charismata. In illa igitur primævæ ecclesiæ facie, quasi gemma auro fulgente elucebat hoc spirituale charisma sanationis, cùm eximia quædam pulchritudo, & forma admiranda tam capitis quàm corporis emineret, ecclesiaque summis dotibus exornata, & quasi omnibus virtutibus exaggerata esset, cum alius aliud exequeretur munus, singuli singula obirent sua munia, alius sapientiam loqueretur inter perfectos, alius scientiæ præceptis, institutisque abundaret, alius fidem præstantem demonstraret ex operibus, alius infirmos & ægrotos curaret, alius virtutes magnas operaretur, alius prophetaret, vel cognitione linguarum anteiret alijs, & interpretaretur *alijs prout vnusquisque, cùm conuenirent, vel haberet Psalmum, vel doctrinam, vel linguam, vel reuelationem, vel interpretationem, vel prophetiam, vel scientiam: Tales enim Deus posuit in ecclesia primùm Apostolos, secundò prophetas, tertiò doctores, deinde virtutes, exinde charismata sanationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum: Nunquid omnes Apostoli? nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes Doctores? nunquid omnes virtutes? nunquid omnes habent charismata sanationum?* Habebant certi profectò homines gratiam curationum in tam bene ordinata Republica Christianorum: & habuisse necesse erat tam præstabile non solum adiumentum, sed ornamentum: cum enim contemnerentur christiani inopes atque egeni à medicis gentilium,

1. Cor. 14. v. 6. & v. 26.

noluit

noluit Deus ſuos pauperes, & tenuiores carere neceſſario ſalutis ſubſidio: dedit itaque tale donum curandi ægros cum placeret ſpiritui ſancto, vt ſi quem manus medica aſpernaretur, vel faſtuoſus oculus cum ſupercilio renueret, nulla adferentem munera eundem morbo oppreſſum manus Dei tangeret, releuaret, ac in integrum reſtitueret. Illiuſmodi medicorum ſi quis nunc quærat, quis primus fuerit, reſponſio facilis eſt, qui primus & vltimus, qui optimus & maximus, potentiſſimus in omni genere curationum Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Hic enim exemplo docuit, & documento præſtitit admirabilitatem ſanitatum. Aſcendit enim ad Deum patrem, & paſſim diffudit hanc ſanandi gratiam, quippe qui paulò antè deſcenderat à patre propter ſalutem corporum, & animarum noſtrarum. *Et quamuis animus melior eſt corpore, & ſalus animi quam ſalus corporis, maiores ſanitates operabatur, propter quas non eſt dedignatus exhibere illas minores:* peragrauit autem idem Dominus omnem *Galilæam, & vicinas regiones pertranſijt, benefaciens & ſanans omnes oppreſſos à Diabolo, quià Deus erat cum illo quem vnxerat ſpiritu ſancto & virtute:* nec ſolùm Dæmoniacos vtpote mancipia Diaboli nexu factos, morbo liberauit, ſed etiam leproſos, paraliticos, arefactos, lunaticos (qui ſunt morbi, vulgo medicorum prope inexpugnabiles, & incurabiles) ſanauit. Quòd enim mulieres illas Petri ſocrum febre correptam, & illam alteram

Aug. de Verbis Dom. ſecundum Math. ſerm. 18.

Act. 10.

Luc. 6.

Math. 8.

Math.8.6.8. ram fluxu ſanguinis laborantem, reliquoſque epidemicos morbos curauiſſet, erat minoris admirationis, veruntamen quód contrectatione manuum, quòd ſolo verbo, quòd ſolo ſputo illinendo oculos profligaret tot & tantos morbos, & quidem nictu oculi, vel temporis momento, ſtuporis erat maximi; ſanatus quippe eſt paralyticus Centurionis puer eadem hora, & in Petri domo cum videret ſocrum eius iacentem & febricitantem, tetigit *manum eius, & dimiſit eam febris, & confeſtim ſurrexit & miniſtrauit eis. Eodemque veſpere facto, oblatis ſibi multis Dæmoniacis eiecit Spiritus verbo, & omnes malè habentes curauit, vt impleretur quod dictum eſt per Iſaiam Prophetam dicentem, ipſe infirmitates noſtras accepit, & ægrotationes noſtras portauit:* expeditiſſima ſalus eſt, quia mora nulla interpoſita, vnuſquiſque eorum ſanatus eſt: quemadmodum & mulier quæ veſtimenti fimbriam tetigerat, *quia exierat de eo virtus, cognouit in corpore quod ſanata eſſet* ἀπὸ τῆς μαστιγὸς *à plaga:* Etenim confeſtim exiccatus *eſt fons ſanguinis*, non moratur pharmacorum propinationem, ſua virtute ſanat vnumquemlibet: nec præſtolatur ſolennitatem temporis & diei, vel celebritatem loci: *namque ſanabat eos ibi:* id eſt *vltra Iordanis fluenta, & cum veniebant cæci & claudi, ſanabat eos in templo*, & vt intelligeretur filium hominis eſſe Dominum Sabbathi, medebatur aliquibus in Sabbatho. Quandoquidem multi *conueniebant audire & ſanari, fides ex auditu,*

Iohn.10.

Math,8,15.

16.

Iſai.53.4.

Mar.5.29.

Math.19.

Math.21.

Luc,5.

ſanitas

ſanitas autem ab eo (qui ſalutem dare potuit) vero ſotere. Verè igitur ſalutem acceperunt omnes qui crediderunt in eum : quia nec magnam, nec mediocrem δυναμιν ſiue virtutem facere conſueuerat, niſi eius potentiæ ac opitulationi confiderent quotquot medelam morborum reperiebant. Ingreſſo etenim Chriſto in patriam, *non poterat vllam ibi virtutem facere, niſi paucos infirmos impoſitis manibus curauiſſet*; miratus *eſt enim incredulitatem* nationis & cognationis ſuæ. Nihilominus ipſe Chriſtus hoc præclarum medendi munus ſibi à patre demandatum obibat diligenter, *& quocunque introibat in vicos, vel in villas, & in caſtella, & ciuitates, in grabatis circumferebant, vel in plateis circumponebant ægrotantes, vt ſaltem veſtis eius fimbriam tangerent, contingentibus verò ſalus corporis ſtatim obueniebat*. Iam verò luce meridiana clarius eſt Dominum noſtrum Ieſum medicatum fuiſſe multis, ſed an Apoſtolos ſuos, & Apoſtolicos illius ætatis eccleſiæ viros, eorundemuè diſcipulos, plurimoſque de plebe chriſtiana, fide ſtrenuos iſta facultate inſtruxerit videndum eſt. Vnum hoc certum eſt illos duodecim viros hac dote ornâſſe Dominum, eodemque ſimul honore ſecum eſſe dignatum. Sed an alios è numero ſeptuaginta duûm, vel omnes, vel aliquos ex illa turba hominum centum viginti, qui introierunt cœnaculum, vel mille alios (ſi non eſt perinde certum) apparebit liquidò eſſe vocatos in ſocietatem

Mar.6.v.5.

Verſ.56.

Act.1.v.16.

etatem huius gloriæ, *conuocatis autem duodecim discipulis, dedit illis virtutem & potestatem vt curarent omnem* μαλακίαν, *siue languorem, omnemque morbum siue infirmitatem: Euntes (inquit) prædicate regnum Dei, infirmos sanate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eijcite, gratis accepistis, gratis date,* Quid autem Apostoli? nunquid socordiæ se dederunt? vel parùm memores, quanta sibi commissa esset auctoritas, permissa potestas. Immò verò dederunt operam omnibus iuuandis infirmis & ægris: primùm Petrus, deinde cæteri per manus Apostolorum signa, & prodigia multa facta sunt; vel quod Marcus luculenter enarrat, *Egressi Apostoli, non Petrus tantummodo, sed omnes illi prædicabant, vt resipiscerent, & multa dæmonia eiecerunt, & vnxerunt oleo multos infirmos, & curauerunt eos. Post ascensionem Christi increbuit multò magis eorum gloria, quòd in plateas efferrentur infirmi, & collocarentur in lectulis & grabatis, vt veniente Petro saltem vmbra illius aliquem eorum inumbraret, & liberarentur omnes ab infirmitatibus suis; concurrebat autem multitudo vicinarum ciuitatum Ierusalem, adducentium ægros & vexatos ab immundis spiritibus, qui sanabantur omnes;* quod enim à Petro & à Paulo factitatum legere poterimus, nec incredibile, nec inopinabile est de reliquis, licet totidem syllabis non commemoretur factum. *Virtutes autem non vulgares fecit Deus per manus Pauli, dum commoratus est Ephesi: Ita vt etiam ad ægrotantes deferrẽtur, ab eius*

Luc. 9. *Matth.* 10.

Act. 5. *Mar.* 6.

Act. 5. 15.

Act. 19.

eius corpore, id est à contactu corporis eius admouerentur, ac imponerentur ægrotis ac languidis sudaria, semicinctia, & recederent ab eis languores, ac spiritus nequam egrederentur ex eis, vt minimè mirandum sit sanctum Dei virum, & Apostolum Paulum, post naufragium Appellentem melitensem Insulam *in locis illis vbi erant prædia principis insulæ, nomine Publij, patrem Publij*, & febribus afflictatum, *Act. 28.* & dysenteriacum ad incolumitatem virium perduxisse, & perfectissimè curasse, neque vnum solum, sed omnes Insulanos, qui *habebant infirmitates* oratione & impositione manuum sanos & saluos reddidisse. Poterantne Apostoli quod Dominus Iesus? potuerunt tantùm discipuli, quantum magister? potuit ille, & valuit semper, semper fœlix, & semper victor morborum: At non potuerunt illi, percontantibus illis, *quare non potuimus nos eijcere dæmonium ex lunatico, quem* *Mat. 17. v. 22.* *pater filij adduxerat, & non potuerunt curare eum qui sæpe cecidit in ignem, & crebrò in aquam, respondit Iesus propter incredulitatem vestram non potuistis, amen dico vobis, si habueritis fidem, vt granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc illuc, & transibit: & nihil impossibile erit vobis: hoc autem genus non eijcitur nisi per orationem & ieiunium:* Si ergo ieiunauerint & orauerint Apostoli, & Apostolici viri, & sancti Dei, valebunt expellere dæmones, & morbos vincere. Sed num omnes vocati Sancti, pollent ista authoritate, perinde ac Petrus & Paulus ac Iohannes, filijque Zebedæi, an vero

omnes habent hanc sanitatum gratiam? qui habet, agat Deo gratias, & gaudeat se tali & tanto munere præditum. Certè quidem promissio Christi est, aliquos fidelium præter Apostolos, donum istud sanitatis conferendæ, ex misericordia Dei consequuturos. *Eminuero nouissimè recumbentibus discipulis vndecim apparuit Dominus*, & spopondit eis, vos, quos ego magistros orbis terrarum constitui, *euntes, prædicate euangelium omni creaturæ, qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur: qui autem crediderint in nomine meo, dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, etsi mortiferum quid biberint, non eis nocebit; super ægros manus imponent, & bene habebunt*: perinde acsi dixisset spiritus sanctus, erũt ex cœtu, & contubernio credentium, vsque ad consummationem mundi, per omnium ætatum reuolutionem, qui alijs credentibus sanitatem virtute Dei extra ordinem sunt præstituri. Haud etenim audiendi sunt, qui ligare volunt Dei potentiam, vel alligare certis temporibus, personis, ordinibus, lociſque, hoc est profectò extenuare, vel exinanire diuini numinis, semper & vbique præpotentis nominis potentiam. Cede namque mihi, quo sæculo anteacto desierit hæc miraculorum, & mirabilium curationum nobilitas & gloria? An Apostolorum temporibus effloruit, post modo elanguit tota vis & efficacia? multæ sunt decursæ ætates à Christo incarnato, ac nato ex Virgine,

Mar. 16. §. 15.

ostendas

oſtendas neceſſe eſt aliquam ætatem temporiſue periodum, in qua terminata eſt facultas edendarum virtutum, & ſanitatum gratia funere quaſi ſuo ſupremo die elata eſt? Ecquid primis trecentis annis? multa eſt omnis ea de re memoria: An alijs trecentis ſubſequentibus annis vniuerſa ſiluit hiſtoria? Hominumnè notitia interijt cum temporibus, ætatibuſque? Sed facile eſt demonſtrare ex fide hiſtoricorum eccleſiaſticorum, ſemper aliquos hoc dono claruiſſe, quantumuis non tantum exeruerint roboris, quantum illi ſummi ac principes viri Apoſtoli, & Apoſtolorum alumni: Virtus quippe Dei oſtenderat ſe in illis, tanquam in expanſo, ſiuè firmamento roboris ſui, ſed manus Dei in poſteris non eſt abbreuiata. Ille qui dixit, profectò *ero vobiſcum vſque ad conſummationem, erit glorioſus in ſanctis ſuis, & admirabilis in omnibus qui crediderunt*, in decurſu temporum etiam vltimorum. Quod ſi quis proinde putet nulla eſſe documenta factorum talium, quia pauciora reperit, næ ille magnopere hallucinetur: non enim paucitas magnitudinem, nec raritas claritatem tollit: Satis eſt ad reuincendam vanitatem eorum, qui dexteram altiſſimi, & brachium volunt contrahere, & ad veritatem aſſerendam ſatis Deum operari ſemper, & cooperari ſapienter efficacitate ſignorum, prodigiorum, miraculorum ſi quis velit attendere, id eſt, argumenta notare, & in cœlorum circuitu, & in terrarum ambitu omnis generis

2. Theſ. 1.

prouidentiæ, omnipotentiæ, ac gubernationis, dispensationisque, nec seipsum relinquere ἀμάρτυρον sine teste, vt si quis tam sit insigniter impius, qui negare velit, magis sit Atheos, quam ipse Diagoras. Sed quoniam hæc res lucem exemplorum desiderat, tum erit probabilior ac plausibilior, cùm ad eam quæstionis partem peruenimus, penes quos demum sit hæc sanationis gratia, vel potestas patrandi miracula. Nobis enim persuasissimum est, nec negare omnia, nec omnia adfirmare miracula, vel miraculosarum curationum genera; neque enim credendum est fictis & pictis miraculis, nec aliquibus veris & constantibus deroganda fides: quorum alterum temeritatis, ac inconsiderati animi est, alterum inueteratæ cuiusdam malitiæ, ac obstinationis. Media igitur via incedere oportet, nec omnia esse falsa, & quædam esse vera credere consentaneum est.

Quid & quale donum sit, & quoties, & quando vti eo datum sit.

Cap. 2.

VErùm enimuero, priusquàm orationis vela pandimus, definitionum & diuisionum, quasi remis nauem propellamus: quid & quale sit hoc charisma, & quando eius vsus concedatur

cedatur indagemus; an sit morbus naturaliter curabilis, vel non, quod â paucis est animaduersum, etiam inuestigemus diligenter; definitione tota res circumscribi potest. Ac ne longe abeam, est autem Charisma sanandi Dei donum, â spiritu sancto commodatum nobis ad alterius salutem, vtiliter datum ecclesiæ extra ordinem, & communis naturæ consuetudinem, cuius adminiculo homo Christianus, cùm impellitur à spiritu sancto, opitulari potest vni, vel complurium morborum generi, impositione manuum, & precibus medelam adhibendo. Est autem gratia vel donum, *quia non præcedentium operum meritis, sed gratuita Dei bonitate donatum est*, & Dei quidem donum, *quia nihil nostrum nisi peccatum est: sine illo vel operante, vt velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus*: Ac quasi digito intendisset Augustinus ad hoc charitatis, misericordiæ, eleemosynæ, sanctitatis, ac sanationis opus, subiungit, *præuenit nempe Deus, vt sanemur, & subsequitur, vt sanati vegetemur, præuenit vt vocemur, & subsequitur, vt glorificemur, præuenit vt piè viuamus, & subsequitur vt cum illo semper viuamus*: Deinde â spiritu sancto proficiscitur hoc donum, quia non modò omne verum (â quocunque dicitur) â spiritu sancto est, sed etiam omne bonum inspirationis eius est; Aliquibus certè commodatum est, quia communicatum est certis hominibus, non commune omnibus in ecclesia, quos tanta gratia Deus dignatus

Augustin. tract. in Psal. 43.

Augustin. lib. de gra. & lib. arbit. c. 17.

Ibid. c. 32.

est: vnusquisque habet proprium donum, & supra, vel præter consuetum rerum ordinem, & naturam particularem causarum obuenit sanitas, ex habitu vel vsu eiusmodi doni, quoniam Deus habet infinitam potentiam, bonitatem, liberalitatem, & inexhaustum fontem omnium bonorum, potest aliquem riuulum gratiæ, bonitatis, aliarumque virtutum auxiliandi, & medendi deriuare absque lucubrationibus & studijs eorum: qualitas enim vel facultas ista de qua disputamus, non aliquo ingenio nostro, vel multarum conclusionum acquisitione comparatur, sed diuinitùs in eiusmodi persona ferè, quæ sanctitate, humilitate, & eleemosynarũ largitione abundat, vel quæ ob auctoritatem virtutemuè aliquam insignem sacrosancta est, cælesti manu agente excitatur. An vero proprium sit vnius seminis, vel sanguinis tanquam hæreditarij, vel honorarij iuris & aliquibus consecratis, vel inauguratis contingat, suo deinceps loco videbimus. Nunc enim in complicata notione euoluenda huius charismatis tantummodo versamur: idque propterea quod gratis acceptum est, gratis est dandum, quotiescunque eius medela opus fuerit. Sicut enim primis illis temporibus magnopere indiguit ecclesia huius singularis muneris applicatione, quià magis egena Christi turba passim despicatui habebatur ab Atheis Ethnicorum medicis: sic quoniam rursus talia incidere possunt tempora, in quibus pauperrimi Christiani apud Christianos

Christianos vilescerẽt, & quamplurimorum charitas refrigescceret, aut noua causa propagandi gloriam Christi quereretur, ex fide disseminanda in longinquas nationes, vel confirmanda fide impendio magis exercitium, & vsus huius charismatis iam denuò requireretur. Vt enim non modo ista, verùmetiam vlla Dei gratia sapientiæ, scientiæ, fidei, operationis rerum magnarum, prophetiæ ac discernendorum spirituum prorsus euanuerit, vel penitùs interierit, adduci non possum, saltem aliqua in persona, & loco, aliquoque gradu, & mensura remansisse, ac interdum reuiuiscere, apud hos & illos splendescere censendum est. Omnis igitur honos debitus ijs qui sunt in hoc genere præstantes tribuendus est. Age igitur, ponderibus nostris examinemus, quid & quale hoc celeste donum sit, & quo tempore eodem vti; nimirum cùm à sancto spiritu impellimur, necessarium & opportunum sit. Necesse autem est vt lancem in libra ponderibus impositis deprimi, sic animum veris & perspicuis cedere. Veritate itaque Duce præeunte, quo volumus aliquando perueniamus ad eam definitionis partem, quòd homo Christianus alicui, cùm à spiritu sancto incitatur, opitulari possit, subnixus hoc nobilissimo sanationis munere: etenim si excitationem & illustrationem spiritus aduerterit, eiusque nutum attenderit, nunquam aberrabit à scopo: Instituta primum comparatione, & enumeratione donorum, quæ recensetApostolus

Apostolus ad Corinthios 12. quid sit discriminis, efficaciæ, atque actionis internosci potest: omnis autem laus huius charismatis consistit in actione. Potestnè igitur, quæret quispiam, qui habet donum curandi, quando ipse vult, curare alios contagione & morbo laborantes? Potestne is qui sapientia præditus est, de thesauro sapientiæ proferre vetera & noua tanquam bonus paterfamilias? & qui scientiæ habitum adeptus est, præstare quæ sunt artis, vel scientiæ, vel qui habet fidei munimentum, vel linguarum præstantiam, quando ipse vult, facere opera eisdem habitibus consentanea? vnum hoc certissimum est, alterum verò ambiguum & incertum videri potest. Certum autem est eos omnes qui sapientia cæteris antecellebant, vel scientijs imbuebantur, aut fide instruebantur, aut generibus linguarum, vel interpretandi muneribus ornabantur, vti posse & potuisse eisdem dotibus; sunt enim habitus stabiles & permanentes vbicunque sunt. Alterum incertum & obscurum est fortasse nonnullis, quid censere oporteat de virtute & effectione rerum magnarum, & de prophetico munere, & de facultate discernendi, vel secernendi spiritum â spiritu, id est cernendi bonos spiritus, & secernendi â malis bonos, & de hoc ipso sanationis charismate: meminerimus autem omnino, quòd

Prou. 10. v. 12. *Eccles.* 12. *qui sapiens est, in eius labijs inuenitur sapientia: & verba sapientum sunt stimuli, & quasi claui in altum defixi: cum enim sapientissimus esset ecclesiastes, docuit*

cuit populum & enarrauit quæ fecerat, & ſcientiſſimus eius rei quam profitetur, concluſiones & axiomata adferre poteſt in medium, & ſermones miſcere cum alio, & opera perficere, quemadmodum fecerunt omnes *corde ſapientes ad explendum opus tabernaculi; cortinas & inſtrumenta, cætera vario artificio & arte polymita, vt Bezeleel & Oaliab & omnis vir ſapiens quibus Deus dedit ſapientiam & intellectum.* Pari ratione, & qui fidem habet, & ad intelligendum & agendum omnia præclara inſtructiſſimus eſt, per fidem enim patres & illi priſci temporis Heroes *vincebant regna, operabantur iuſtitiam, promiſſiones adipiſcebantur, obturabant ora leonum, extinguebãt vim ignis.* Fides enim vera ſicut vera virtus ſemper actuoſa eſt, fideliſque ex penu fidei fideles actiones valet expromere. Denique & qui abundat cognitione generum linguarum, loqui linguis poteſt, & qui interpretandi ſcientia peregrinis in eccleſia & barbaris gentis illius ſermonem, ſermone alio explicare poteſt, quando animo collibitum eſt ſuo; proque arbitrio priuato, & ſuo proprio, iuxta illud talentum diuinæ gratiæ ſibi concreditum, donis illis omnes olim vtebantur, & ſemet ipſos moderabantur: quales autem habitus, tales actus ex ijſdem habitibus ſolent profluere, & emanare. Non eſt idem exiſtimandum de gratia ſanitatum, de virtute magnarum rerum edendarum, de prophetia, de diſcretione, & examine ſpirituum, quod de præcedentibus donis ſapientiæ,

Exod. 36. §. 1. & 8.

Hebr. 11. §. 32.

scientiæ, fidei, linguarum, ac interpretatione statuendum est. Hoc enim existimatione nostra dignum est, non tam videntur posteriora quatuor enumerata â Paulo, capite duodecimo, versibus nono & decimo, Habitus permanentes quàm notiones quædam transeuntes, dicam planiùs, non sunt reipsa habitus, etsi similitudinem quandam, & vicinitatem habitibus propinquissimam & maximè finitimam monstrent, germanitatem tamen & (præfanda verbo venia est) identitatem non ostendunt. Quod si quis pugnaciter velit defendere, illa dona quatuor sanandi, prophetandi aliorumq; non solùm videri, sed etiam esse habitus, consequens est nonnullos esse habitus, qui sæpenumerò actionibus indigeant, & quorum operationes ab aliqua vi maiore & potentiore cohibeantur. Istìc sum, vt doceam, non semper & vbique, id est vbicunque volunt homines hac in re valentes, talia exequi munia, fuisse assequutos: Sed tum demùm cum illustrantur, cum excitantur â spiritu Dei, & prophetant viri sancti, & miracula patrant, operantes res arduas & magnas, & spirituum examen aggrediuntur viri tali iudicio pollentes, & infirmitates sanant ea gratia præpotẽtes. Ipsa enim MAIESTAS Sereniſſimæ ELIZABETHÆ isto præfulgens munere, cuius sydus reges micat inter omnes, velut inter ignes luna minores, illa (inquam) augustissima princeps, quæ quamplurimos, quoties & quãdo vult, miserrimos mortales, omnium ætatum,

ætatum, ſexuum, ordinum, ſtrumoſos ſanat integerrimè, perfectiſſimèque indies, non tamen id caſu aliquo & fortuito tranſigit, ſed deliberato & conſulto ſanat, & præeunte ſpiritu ſancto, & præpotentis Dei nomine inuocato ad hoc ipſum egregium pietatis opus ſe accingit & præparat. Quare vulgus de ea re malè autumat, ſi opinaretur MAIESTATEM eius facere idipſum, quod libenter ſtudioſeque facit in tam innumeris ſtrumam patientibus curandis, alia ratione impulſam, quam conſilio & auxilio diuinitatis, præſertim adeò fauſto, fœlicique ſucceſſu ſequente & comitante ſingulis temporum momentis. Sed erit de tota efficientia ſalutis, certitudine effectuum, & euentuum admirabilitate de religione Principis, verecundia, & caſtitate ceremoniarum & rituum, deinceps diſſerendi locus proprius, nunc ad propoſitum reuertamur, vnde paululùm digreſſi ſumus. Proculdubio eſt omnem virum ſanctum, & vnamquamque fœminam ſanctam, dare ſalutem alteri, & ferre ſuppetias ægrotanti, miris ſed veris medendi modis, non niſi inſtinctu diuini ſpiritus. Inſiſtamus in cæteris gratijs, quod de hoc vno enunciatur verè affirmabitur de reliquis clariſſimum munus & opus eſt prophetia, ſiue ea ſit futurarum rerum prædictio, ſiue doctrina: At nemo propheta tam excellenti dono gauiſus eſt vnquam, vt quando ſibi adlubeſceret, annuntiaret prophetiam, ſed cùm afflatus eſſet ſpiritu ſancto; *non enim voluntate* 2. Pet. 1.

tate humana allata est prophetia aliquando, sed spiritu sancto inspirati loquuti sunt sancti Dei homines: prophetæ consulebant Dominum in dubijs & difficilibus rebus & temporibus, plebs autem Dei consulebat prophetas: omnino autem spiritus prophetarum subijciebantur prophetis, prophetæ autem subijciebantur Deo. Ex quo facile est intellectu cuipiam, non semper prophetiæ donum adfuisse prophetis, sed tantisper dum, â Deo ad aliquid prænoscendum & prædicendum mente illustrantur. Quæcunque igitur constantissimè & scientissimè enunciant, eorum scientiam edocuit spiritus, quæque planè nesciunt, ea celare eos prudenter voluit spiritus sanctus. Memorabile illud est de Agabo propheta, cùm descendissent prophetæ Hierosolymis Antiochiam, nobilem Syriæ metropolim, sed cognomento Christianorum multò nobiliorem, *surrexit vnus ex eis nomine Agabus, qui significabat per spiritum, famem magnam futuram in vniuerso orbe terrarum, quæ contigit sub Claudio.* A quo (quæso) edoctus prophetiam Agabus? à spiritu. A quo incitatus, vt enunciaret prophetiam? ab eodem spiritu: vidit, vel potiùs prævidit in spiritu, sed significauit, ἐσημάνε διὰ τοῦ πνευματος: *per spiritum*; multa quidem per spiritum absconduntur ab oculis mentium nostrarum, multa etiam reteguntur per eundem spiritum: *Pater autem gloriæ dat spiritum sapientiæ ac reuelationis, & testimonium Iesu est spiritus prophetiæ:* haud sanè

Act. 11.

Ephes. 1.
Apoc. 19.

mirum

mirum cuiquam esse videatur, ignorare quædam etiam virum isto prophetico spiritu imbutum: Elizeus Dei propheta eximius ingenuè fassus est se nescire mortem filij Schunnamitidis: cùm enim mulier festinatione maxima peruenisset in montem Carmel ad virum Dei, & prehendisset pedes eius, erupit propheta in hæc verba: *anima eius erat in amaritudine, & Iehoua celauit me, neque indicauit mihi.* Quin etiam Elias numerum certe, & multitudinem non exiguam occultiorum professorum religionis veræ ignorare visus est. At quantus propheta Elias in Israele? Multa reuelat Deus suis, vnde multa sciuntur, multa etiam nesciuntur ab illis, si omnium rerum essent conscij, quod soli Deo conuenit, putarentur Dij: Si omnium rerum essent vel maximarum nescij, nullam inirent familiaritatem cum spiritu Dei: quoties quidem afflantur eius spiritu, toties vel rerum publicarum conuersionem, vel ruinam regnorum, vel interitum personarum nobilium, vel annonæ charitatem, vel siccitates, vel pluuiam prædicunt. Et tamen sic loquitur scriptura, quasi interdum viri Dei, rerum maximarum & mediocrium sint bene conscij, hoc est multiscij sint, non omniscij quod solius Dei est. Ita enim legimus memoriæ proditum, cùm rex Syriæ bellaret cum Israele, & consilium caperet, ac deliberaret cum suis seruis de castris metandis, & manu conferenda, hoc & illo loco adoriemur hostes nostros, mittebat nuntium *vir dei ad regem Israelis, caue*

talem, vel talem locum transeas, nam ibi Syri insidiantur. Quare rex admonitu viri Dei locum eum communiuerat, & bene sibi consuluerat, *non semel, neque bis, sed pluribus vicibus.* Oborta inde magna suspicione proditionis seruorum vel consiliariorum vnus cæteris perspicacior sic inquit: nemo de nobis (Domine mi rex) regi Israelis, vel
2. Reg. 6. dicta vel facta retulit, *sed Elizeus propheta indicat regi Israelis verba ipsa secretiora quæ loqueris in conclaui cubilis tui:* Elizeus propheta quis demùm fuerat? vnde audiuerat arcana colloquia & clandestina consilia regis Syrorum? certe Dominus Deus exercituum retexit, *auris Zelotypa audijt omnia.* Sed quorsùm ista? nimirum vt vnusquisque intelligat, tantum luminis prophetici, tantum gratiæ sanationis, diffundi in mentes & corda fidelium, quantum defluit â patre luminum, apud quem ne tantilla conuersio est, vel conuersionis vmbra: deinde tantum quemque virum Dei, siue prophetam, siue operantem mirabilia, siue sanitatem tribuentem valere, quantum ope, & auxilio, & incitamento diuini spiritus adiutus valeat, cæteroqui ne hylum profuturum arbitrer. Ac ne longè abeam, Elizeus cuius exemplum sit instar omnium, nisi excitatus, & adiutus speciali illustratione, & inspiratione spiritus Dei, nihil egregium & singulare poterat præstare. In illa nempe expeditione trium regum regis Iehosophat regis Iudæ, regisque Iehoram cum rege beneficiario, vel prorege Edomæorum aduersus

Meschah

Meſcahh regem Moabitarum Pecuarium rebellantem, quo tempore deſcendiſſent ad Elizeum, vt conſulerent Iehouam, neceſſe habuit propheta pſaltem aſſumere ſibi vel fidicinem, cuius muſices opera animus eius perturbatus propter præſentiam regis Iſrael inſigniter impij tranquillior redderetur, & ſpirituali carmine componeretur, ad oracula cœleſtia prædicenda; *Itaque eueniret, vt pulſante fidicine adeſſet ei manus Iehouæ, & ediceret Iehoua, faciendæ ſunt in valle hac multæ foſſæ, nam* 2.Reg.c.2. *ſic ait Dominus, non ſenſuri eſtis ventum, nec viſurè eſtis pluuiam, & tamen vallis iſta implebitur aqua, vnde bibatis vos, pecoraque & iumenta veſtra.* Ergo in his muneribus magnarum curationum perfungendis, quarum gratia diſputatio tota inſtituitur, ergo in hijs mirabilibus effectionibus obeundis, animaduerſione dignum eſt ordinariè, & vulgariter non fieri illiuſmodi miracula quando volunt homines, ſed cùm vult Deus homines ad talia faciunda impellere; nec eſt viſum ſpiritui ſancto ſemper impellere & incitare, ſed tum demùm, cùm ad Dei honorem, ac vtilitatem hominum illa miraculorum gloria redundabit. Ac tum quidem anſas mille dat deus, & quaſi perpulchram materiam ſuppeditat in qua ſe exerceat vnuſquiſque, & donum ſuum ſpiritu Dei excitante ſpiritum hominis, & quaſi ignem ex ſilice excutiente, ne ipſe quidem glorioſus author, & princeps mirandarum actionum voluit ſemper gloriam ſuam conſpicuam reddere, multò minùs homo,

homo, cui ex diuinæ voluntatis permissu & iussione licitum est patrare miraculum. Deo igitur adest facultas semper, volũtas sæpissimè peragendi talia, humanæ voluntati obest aliquando occulta Dei voluntas, prodest autem non minus sæpe, vel potiùs semper diuina motio, vel instigatio spiritus: etenim Deus hominis voluntati certos limites præstituit, & quosdam quasi cancellos circumscribit: versemur in exemplo, potuit Petrus, & voluit Ananiam & Sapphiram coniugem eius, quod interuertissent aliquid ex pretio possessionis diuenditæ, vt mendacio fallerent spiritum sanctum, exanimare ac repentina morte percellere, hoc est (vt prudenter Hieronymus explicat) *Petrus nequaquam imprecatur eis mortem, vt stultus Porphyrius calumniatur, sed Dei iudicium prophetico spiritu annuntiat*. Sed an tantum potuit quantum ipse Petrus voluit? istud non perinde certum est, probabilius est dictu, id voluit Petrus, quod voluit spiritus, noluit autem spiritus interdum, nam illud nimis sepe, secùs aliquando videmus contingere. Ausus est Paulus, & quidem officio functus est pij & prudentis viri, distringere gladium spiritualem contra quendam virum magum & pseudoprophetam, qui connitebatur auertere à fide Sergium Paulum Proconsulem Cypri, sic enim interminatus est, intuens, *O plene omni dolo, & omni fallacia, fili Diaboli, inimice omnis iustitiæ non desinis subuertere vias domini rectas, & nunc manus Domini super te, & eris*

Epist. ad Demetriad.

Act. 13.

cœcus

cæcus non videns ſolem vſque ad tempus: & confeſtim cecidit in eum caligo, & tenebræ, & circumiens quærebat, qui eum manu prehenderet, ſed non eſt auſus ligare eum iſto anathematis vinculo, & oculorum damno punire, niſi repletus fuiſſet ſpiritu ſancto, ac efferbuiſſet ſpiritu prophetico ac heroico: toties audebat Paulus, audebant reliqui quoties audiebant verbum Domini iubentis, vel ſuaſionem ſpiritus inſinuantis talia: cuius generis igitur eſt hæc facultas virtutum edendarum? vnius certè & eiuſdem, ac conuenientis cum illo ſanandi chariſmate, prophetico munere, ac ſpirituum diſcretione, quæ vno & eodem loco commemorat Apoſtolus, de ijſdem idem ſentiendum eſt. Quotuſquiſque eſt qui prudenter poſſit dignoſcere, ac ſuo diſcrimine ſeparare, tam infinitos numero, tam ſolertes & actuoſos malitia, tam varios & multiplices calliditate & aſtutia ſpiritus? hic vir habet ſpiritum mundi, ille alter ſpiritum immundum habet, alius coinquinationis ſpiritum, alius ſpiritum κατανύξεως, alius ſpiritum erroris, vel horroris, aut timoris ſpiritum, multi à ſpiritu ſuperbiæ, & faſtus, inuidiæ, vanitatis; innumeri hæreſeos, ſchiſmatis, apoſtaſiæ ſpiritu occupãtur. Iam vero quis poteſt diſcrimen interponere vbi vix aliqua, vel occulta ſit internoſcendi nota? Perfectus eſſe debet, & perſpicax, & ſolers, & qui in propinquo mentem habet, ἐπίτυς ἔσι καὶ ἀγχίνοος: ſummi enim acuminis ac ſollertiæ eſt facere coniecturam de ſpirituum diſcrimine,

1. *Cor.* 7. *Rom.* 11. 1. *Tim.* 4. 2. *Tim.* 1.

Odyſſ. 5.

Hebr. 5. *perfectorum est solidus cibus inquit Apostolus, eorum scilicet qui propter habitum, vel consuetudinem exercitatos habent sensus, ad discretionem boni & mali:* sicut enim charisma sanitatis requirit sanctissimum hominem & solertissimum, prophetia disertissimum eloquijs Dei, & perspicasissimum, virtutum edendarum facultas, spiritu potentissimum, ita hæc discretio spirituum acutissimum & exercitatissimum desiderat. *Sunt enim discriminа operationum, sed vnus Deus, & distributa munia ministeriorum, vnus autem Dominus*, multiplicia charismata, vnus autem spiritus à quo prodeunt, & per quem prosunt ecclesiæ, vniusmodi autem sunt in eo, quod motiones transeuntes sunt, & inanes motiones, nisi tum cùm spiritum sanctum authorem & adiutorem produnt. Quæ & qualis sit sanationis gratia, & quando, cuiusque instinctu & permissu vtenda sit, abundè perspeximus, vnde autem fieret & per quam demùm causæ efficientiam sanitas contingeret, ex verborumne prolatione nuda, aut ex solennitate actionis piæ & religiosæ, aut ex virtute aliqua creata esset oriunda, porro videamus. Fundamentum totius disputationis ego libenter iecerim hoc, nullum miraculum quantumlibet glorioſum, quod aut vnquam vidimus, vel audiuimus, vel literis consignatum meminimus factum fuisse ex virtute aliqua creata quæ in hominibus inhæreret, nullam miraculosam curationem, ne hanc ipsam potentissimæ & perfectissimæ in hoc genere

nere

nere ELIZABETHÆ illuſtriſſimæ REGINÆ, ſanitatis effectionem prouenire ex virtute creata inſidente in homine, ſed ex virtute Dei aſſiſtente; nullius cuiuſquam mortalium virtus, vel ſanctimonia, vel pietas vel potentia hominis valet hoc per ſe præſtare, quaſi ex ſe, nedum ceremoniarum vel reliquiarum fragmenta, & veſtimenti fimbria, & ſudaria aut ſemicinctia efficere quibunt. Nam quod attinet ad iſta, quæ deferebantur ad ægrotantes, â contactu corporis Pauli, erant ſigna & ſymbola ad gignendam & confirmandam fidem illorum, qui ſanandi eſſent in abſentia Apoſtoli, vt omnibus innoteſceret planiùs, chariſma ſanitatis quod acceperat Paulus â Domino, nequaquam affixum aut alligatum fuiſſe corpori ſuo, quo minus abſentibus diſpenſari potuiſſet. Virtutes autem operabatur Deus, per Pauli manum, Pauli manus erat nihil aliud quam inſtrumentum omnipotentis Dei. Veſtimenti fimbria multo minorem complexa eſt virtutem. Eſt enim anima nobilior corpore, corpus quiddam nobilius veſtimento : ſed Dominus perſentiſcebat virtutem de ſe, id eſt ſuo corpore exeuntem : reliquiæ vero ne minimam efficacitatis particulam continent, quippe quæ nullius pretij ſunt, ſi ad ipſos in cœlis ſanctos conferantur. Sanctorum reliquiæ autem nullæ ſunt niſi virtutes eorundem, ad imitationem propoſitæ, ac ob eam cauſam literis potiùs quam loculis cuſtoditæ. Dei manus ſalutifera eſt, Deique brachium totum auxiliare eſt, *Act. 19. v. 12.*

nullius cuiusquam pietas effectrix vllarum sanitatum reputanda est. Quod profectò Petrus non diffitebatur, cum hominem *claudum ab vtero matris* alleuâsset, ita quòd *roborata essent crura & malleoli, & exiliens staret & ambularet & ingrederetur templum cum illis & laudaret Deum*, qui post quadraginta annos incolumis constitit. *Quid (inquit) vni Israelitæ miramini in hoc, aut nos ita intuemini quasi nos nostra virtute aut pietate fecerimus hunc ambulare, Deus Abraham, Deus Isahac, Deus Iacob, Deus patrum nostrorum glorificauit filium suum Iesum, & in fide nominis eius hunc, quem vos videtis & nostis, confirmauit nomen eius & fides quæ per eum est dedit integram sanitatem* ὁλοκληρίαν, *siue integritatem sui corporis in conspectu omnium vestrûm.* Parumne liquet non esse in caussa vllam propriam virtutem, vel potentiam, pariter duûm licet Apostolorum primariorum, non sanctitatem vel pietatem aliquam insignem (quanquam ambobus illis nihil sanctius nihil religiosius, qui in templum ascendissent ad horam orationis nonam) sed si ad veram causam indagandam velint accurrere, tota vis nomini Iesu, eiusque sanctitati tota efficacia, miracula eius virtuti essent ascribenda. Intereà non est negandum eundem Petrum proximè & secundum Deum salutem dedisse viro claudo, nimirum hoc nobile donum accepisse â Domino vt eundē & alios sanaret: *argentum & aurum nō habeo, quod autē habeo do tibi*, tuum erit sanitas meū est sanatio. *In nomine*

Act. 3.

August. de ciui. Dei lib. 22. c. 5.

Iesu

Ieſu Nazareni ſurge & ambula; Itàq; erexit eum iacentem apprehenſa manu eius dextera, quod breuiſſimo compendio factum legimus ab eodem Petro, dum inuenit Lyddæ Æneam *paralyticum ab annis octo decumbentem in grabato, ait ei confeſtim, Ænea ſanat te Dominus Ieſus Chriſtus, ſurge & ſterne lectũ tibi*: & dicto citius pene expeditiuſquè præſtitum meminiſſe poterimus ab Anania Damaſceno, qui poſtquam impoſuiſſet manus Saulo, qui ſtatim cognominabatur Paulus, dixit *frater Saule Dominus miſit me, qui apparuit tibi in via, qua veniebas vt viſum recipias & implearis ſpiritu ſancto, & extemplo ceciderũt ab oculis eius ſquamæ:* Ecquid ad Dei gloriam illuſtrius quam Dominũ Ieſum dare huic ſcotomatis medicinam, dare alteri paralyſeos remedium & præſentiſſimum & præſtantiſſimum? ecquid ad Apoſtolorum nomen & famã glorioſius, quam per eos dare? quid eſt hoc ipſum per eos dare? an vult Dominus gloriam ſuam alteri cuipiam dare? nunquid caliginis vel nubeculæ aliquid offunditur, & labeculæ aſpergitur altitudini illius gloriæ quæ eſt in cœlis? Immò gloriæ diuinæ ſplendor tanto magis relucet in eiuſmodi vaſculis gloriæ: ſicut enim Solis lumen non ex eo diminuitur, quòd vaſa ſphærica ſyderum repleantur lumine, nec ſupera corpora aſtrorum ſunt minoris influentiæ, virtutiſue, quod in inferiora influant & recipiantur ab eis, quoniam aſtra ſuum lumen a ſole mutuantur, & hæc infra lunæ conuexum a ſuperiorum Act. 9.

corporum lationibus gubernantur: Sic neq; sanctorum hominum virtus & potentia in edendis talibus miraculis curationum, minùs reddit conspicuum diuiuæ lumen gloriæ, sed altissimi gloria fulgidior longe est, latequè diffunditur per tales radios, passim & vbiquè coruscantes, et in mortalium mentibus resplendet, quippe quòd Deus eiusmodi dona dedit hominibus, & in fragilioribus & quasi testaceis vasculis, tam præstantis & gratiæ, & gloriæ tam precioſos thesauros recondidit; glorificandus magis ipse indies in creaturis suis. Plane igitur homo instrumentum est, Deiq; organum, Deus enim opifex est & magister totius artificij, minister homo est & seruus Dei, qui quidem summus honos est: debet autem homo obedire & obtemperare Deo, cum Deus impellit, vel cum specialiter inuocatur nomen Dei ab homine inter operandum: sumus vero cooperarij Dei quicunque eius opus facimus.

Circa quod versetur sanationis donum.
Cap. 3.

EXpedita itaq; totius definitionis ratione huiusce charismatis, quam paulo ante proposuimus paucis absoluenda est illa quæstio, qua indagatur, circa quod versetur hoc sanandi donum, sitne morborum naturaliter curabilium, an potiùs incurabilium omnino

omnino? priuſquam ad antiquitatem & diuturnitatem doni explicandam deueniemus, vt liquido omnibus conſtet totam rationem curandi ægrotos ſiue paralyticos, ſiue epilepticos, ſiue hydropicos, ſiue dyſenteriacos, ſiue ſtrumoſos, eſſe miraculoſam, hoc eſt ipſam formam ſanandi haud vacare miraculo, in materia tali quæ cæteroqui ſanabilis exiſtat interdum; interpretabor animi mei ſententiam planiùs, cum Paulus patrem Publij dyſenteriacum, & febre correptum curaret, erat cura mirabilis, morbus naturaliter ſanabilis: Febris enim quocunque in genere eſt, licet permoleſta ſit, profligari poteſt aliquando, & dyſenteria perfectè ſanari, ſecundum maiorem minoremuè plurium pauciorumuè graduũ latitudinẽ ſanitatis. Etiam deplorati nonnunquam ab ipſo limine, & veſtibulo mortis reuocantur ad valetudinis integritatem. Cum Chriſtus vel paralyſin, vel hæmorraghiam ſanaret, nemo negârit, paralyſim in ſe, & profluxum ſanguinis per ſe, ſi quis inſpexerit eſſe medicabiles morbos; quanquam probabile eſt Dominum Ieſum incidiſſe in eos omnes, qui difficulter ſanari potuerunt, *ſed deſperatis* (quod dixit Marcus Tullius de Republica) *etiam Hippocrates vetat adhibere medicinam*, Chriſtus non vetat, cui omnis morbus erat expugnabilis; quemadmodum & Chriſtianus non deſperat Chriſto duce & auſpice, oratione & impoſitione manuum morbum expellere. Multi ſancti & beati viri varios morbos ſuis medendi modis

Lib. 16. Epiſt. 14.

modis expulêre. Et in quibus est aliquid diuini, quid ni diuina manu adiuuentur morbi? Iam verò si quis miris sed veris modis medelam adhibet morbis, morbus naturalis est, curatio supra omnem vim naturæ est, vt in exemplo versemur, quod sæpius ante oculos nobis obuersatum est, cuiusquè quotidiana nobis vsura concessa est intuendi, cum incredibili animi voluptate ac lætitia, hic morbus qui vocatur struma (id est humor in quo subtus concretæ quædam ex pure & sanguine quasi glandulæ oriuntur, ac vt plurimum per pectus & guttur serpit) popularis morbus est, & nulli parcit ætati sexuique & sanabilis quidem, si quis ipsius morbi naturam consideret, nisi veniat ad extremum, tum enim morbi malitia vincit omnem curam, ex neglectione eorum, quæ prodesse potuerunt. Atqui siue curabilis, siue incurabilis sit in materia sua, perinde medicabilis est ei, qui habet hoc donum sanandi strumam. Nequè enim *Clarissima Princeps* inquirit sitne infantulus, an senex, vir an fœmina, vetus an noua ægritudo: Ipsius MAIESTAS ad eundem modum curat singulos contagione morbida afflictatos, applicatione sola, vel impositione manuum suarum, & precibus tam suis quam totius ecclesiæ, iam tum præsentis, non sine ceremonijs solennibus: quod ego in aliquo miraculi loco & numero ponere debeo', cum videã sanitates hominibus antea ægerrimis inde obuenire fœliciſſimè, miraculnm voco cum Augustino

Miraculum voco cum Auguſtino ad Honoratum, *quicquid inſolitum ſupra ſpem, vel facultatem mirantis apparet. Et magnalia vel mirabilia appellamus, quæ fiunt contra cognitum, ſolitumquè naturæ curſum*, ſicut idem Auguſtinus libro 6. contra Fauſtum, capite tertio, ſuo diſcrimine diſtinguit & naturam & miraculum. *Naturam appellamus cognitum nobis curſum ſolitumq; naturæ; contra quem Deus cum aliquid facit, magnalia, vel mirabilia nominantur.* Propriè igitur miraculum erit cenſendum ſanationis donum, eiuſquè efficientia ſtupenda quidem, licet miraculorum quædam ſit inæqualitas, omnium tamen dignitas admiranda eſt, et vtilitas diſpar: quatenùs verò â ſolito naturæ ordine & curriculo recedere conſueuerunt, alia alijs ſunt præſtantiora, non vtiliora ſemper. *Amen, Amen, dico vobis*, inquit ſeruator Chriſtus, *qui credit in me, opera quæ ego facio & ipſe faciet, & maiora horum faciet, quia ego ad Patrem vado, & quodcunque petieritis in nomine meo, hoc faciam; vt glorificetur pater in filio:* ac quaſi dictum ſuum Dominus confirmaret auctoramento nouo, ſtatim ſubiungit, *Si quid petieritis â me in nomine meo hoc faciam*, ac ſi diceret, in rebus mirabiliter factis, non vos facitis, ſed ego facio: Inter ipſa Dei opera tantopere prædicanda, quæ proprio miraculorum vocabulo inſigniuntur, alia alijs ampliora & auguſtiora ſunt, vt enim ſol retrocedat & ſtet luna, grande miraculum eſt, & magnificentiam Dei & omnipotentiam cer-

Auguſt. de Vtilitate credendi c. 16.

Auguſt. lib. 6 con. Fauſtum.

Ioh. 14. 5. 12.

cernere est: at lumen cæco, vitam mortuo reddere, perinde magnum est, & repentè quempiam e morbo diuinitùs curare, vel aduenientes beare salute corporis, consuetudine sine dubio communius est, commoditate & vtilitate generis humani haud quidêm minus est, & miraculum modo & ratione facti reputandum est. Rarefactio & densatio quidem aeris, vel resolutio in pluuias ad preces Mosis vel Eliæ, stupendum quiddam est, etsi vt rarior & densior sit aer aliquando miraculum non est. Istud libenter obtinuerim, dare salutem strumoso, integritatem paralytico, aliosué curare morbosos, non est fortassis difficile viro medico, si ad curandi officium vocetur opportuniùs, at dare solo contactu & deuotione precationum, commodare sanitatem aliquibus, absque pharmacis, vel Chirurgorum opera, & immediatè (vti loquuntur scholæ) operari, vel ad minimam temporis intercapedinem, non solum res admiranda est, sed iure merito miraculum dicendum est,

Quandiu

Quandiu extiterit ſanationis Chariſma, & an ab vltimis temporibus repetendum ſit, & an aliqui ſemper miraculorum gloria floruerint.

Cap. 4.

IAm ante probauimus Apoſtolos, Apoſtolicoſq; viros hoc eximio ſanationis dono præditos fuiſſe, perindé autem probabile eſt eorum diſcipulos, eidemquè ætati primæuæ eccleſiæ viciniſſimos, ſimili munere non caruiſſe. Ex quo luculenter deducimus, nullam ætatem Chriſtianorum hominum, luce exemplorum illiuſmodi ſanitatum eguiſſe. Ergo ab innumeris perſonis quædam paucitas, ac ab infinitis locis potiùs quorundam celebritas petenda eſt, & repetenda mirabilium curationum diuturnitas, ac claritas, vt ſi vlli miraculorum gloria floruerint, & iſta gloria florentes fuiſſe aliquos credibile eſt, & ſi non omnes interierint miraculoſæ effectiones, nec iſtam interituram eſſe conſentaneum rationi eſt. Primum igitur tacitæ nonnullorum ſiue obiectioni, ſiue calumniæ ſatiſfaciemus, priuſquam exemplorum enumerationem bene longam inſtituemus: fortaſſis enim eandem opinionē male conceptam, in ipſo limine & veſtibulo orationis huius abiecturi erunt, vel cum Auguſtino, illis & ſanctiore, & ſapientiore

sapiẽtiore retractaturi. Videtur autem Diuus Augustinus in ea sententia olim fuisse constitutus, miracula minimé perdurâsse in sua tempora. *Item quod dixi, nec miracula ista, in nostra tempora durare permissa sunt* dixit autem libro de vera religione, capite 25. totidem verbis, *ne anima semper visibilia quæreret; vt eorum consuetudine frigesceret genus humanum, quorum nouitate flagraret:) verum est id quidem, non enim nunc vsqué cum manus imponuntur baptizatis, sic accipiunt Spiritum Sanctum, vt loquantur linguis omnium gentium, aut nunc vsqué ad vmbram transeuntium prædicatorum Christi, sanantur infirmi, & si qua talia tunc facta sunt, quæ postea cessasse manifestum est: sed non sic accipiendum est, quod dixi, vt nunc in Christi nomine fieri miracula nulla credantur: Nam ego ipse quando istum ipsum librum scripsi, ad Mediolanensium corpora martyrum in eadem ciuitate, cæcum illuminatum fuisse iam noueram, & alia nonulla, qualia tam multa etiam istis temporibus fiunt, vt nec omnia cognoscere, nec ea quæ cognoscimus, enumerare possimus.* Sed veniamus ad illud sæculum, quo vixit sanctus Augustinus suo ordine & serie paulò post; retrospiciamus nunc superiora illa sæcula, & vltimam memoriam ecclesiæ post Apostolos, & Apostolicos viros recordemur. Neq; enim solummodo inualuerunt effectiones admirabiles, viuentibus Apostolis, & eorũ adiutoribus et cooperarijs, hoc est vsq; ad ætatem Simeonis fratris et consobrini Domini,

Retract. lib. 1. cap. 4.

Euseb. hist lib. 3. cap. 29.

Domini, filijque Cleophæ episcopi Hierosolomitani, & martyris, qui annos centum supra viginti natus, diem obijt, (ad cuius vsque tempus ecclesia erat παρθενος καθαρα καὶ ἀδιαφθορος, *pura & incorrupta virgo*) sed etiam postmodo cum Quadratus, alijque Apostolorum successores erãt superstites. *Diuini namque spiritus*, testante Eusebio, *etiam ad id temporis, plurimæ admirabiles virtutes, operationes suas exercebant*, & clarissima ecclesiæ lumina passim miraculorum radios per vniuersum orbem terrarum diffundebant, ad Adriani vsque tempora sub Antonino, & Marco Aurelio imperantibus. Tertullianus autem ad illam superiorem ætatem reuectus, vt in his proferendis perturbem ætatum ordinem, *quando inquit non geniculationibus nostris, & iciunationibus nostris, etiam siccitates sunt depulsæ ? tunc & populus acclamans Deo deorum, & qui solus potens in Iouis nomine Deo nostro testimonium reddidit, Et quanti honesti viri, de vulgaribus enim non dicimus, aut â dæmonijs aut valetudinibus remediati sunt ? Ipse etiam Seuerus pater Antonini Christianorum memor fuit, nam & Proculum Christianum (qui Toparchion cognominabatur) Euhodeæ procuratorem, qui eum per oleum aliquando curauerat, requisiuit, & in palatio suo habuit, vsque ad mortem eius, quem Antoninus optimè nouerat lacte christiano educatus. Sed & clarissimas fœminas & clarissimos viros, Seuerus sciens secta esse, non modo non læsit, sed testimonio exornârit*. Ex quo abundè liquet, quo in pretio habita sit hæc anti-

Ibid. c. 34.

Tertul. lib. ad Scap.

qua virtus curandi ægrotos, & patrandi eius generis miracula. Tantumque aberat ab obtrectatione inuidiæ, quæ solet lacerare plærosque, vti ea non modo non exulcerare gratiam hominum potentium, sed potiùs conciliare videretur: non enim tam Christi pauperes, quam mundi principes, patrocinio & tutela sanctorum virorum indigebant. Tertullianum Irenæus annis aliquot ætate proximè superiore paulùm anteceſſerat, sed laude tamen horum donorum longiùs proceſſerat; quippe Irenæus etiamnum puer audiuit Polycarpum in Asia, Polycarpus autem Iohannis Euangelistæ discipulus, cùm adhuc triumphis Martyrum nobilitaretur ecclesia, & mansisse eo sæculo veterum ecclesiæ charismatum manifesta vestigia, ipse libro quinto refert, *quemadmodum & multos audiuimus fratres in ecclesia, prophetica habentes charismata, & per spiritum vniuersis linguis loquentes, & abscondita hominum in lucem producentes, ad vtilitatem, & mysteria Dei explicantes, quos & spirituales vocat Apostolus, secundum participationem spiritus existentes spirituales, & paulò* antè *libro 2. c. 58. Quapropter alij præscientiam habent futurorum, & visiones & dictiones propheticas, alij autem laborantes aliqua infirmitate, per manus impositionem curant, & sanos restituunt. Iam enim quemadmodum diximus, & mortui resurrexerunt, & perseuerauerunt nobiscum annis multis: quid autem? non est numerum dicere gratiarum quas per vniuersum mundum ecclesia â Deo accipiens, in nomine Christi Iesu*

Iren. lib. 2. c. 32. Euseb. hist. eccles.

Iren. lib. 5.

Iren. lib. 2. c. 58

sti Iesu crucifixi, sub Pontio Pilato per singulos dies, in opitulationem gentium perficit, neque seducens aliquẽ, nec pecuniam ei auferens, quemadmodum enim gratis accepit â Deo, gratis & ministrat, nec inuocationibus angelicis faciat aliquid, nec incantationibus, nec aliqua praua curiositate, sed mundè & purè & manifestè orationes dirigens ad Dominum qui omnia fecit, & nomen Domini nostri Iesu Christi in virtute secundum vtilitates hominum, sed non ad seductionem perfecit, ex quo dilucidè colligit, *si itaque & nunc nomen Domini nostri Iesu Christi beneficia præstat, & curat firmissimè, & verè omnes vbique credentes in eum, sed non Symonis neque Menandri, nec Carpocratis nec alterius cuiuscunque, manifestum est quoniam homo factus conuersatus est, cum suo plasmate, verè omnia fecit ex virtute Dei.* Obtinuimus iam annos plusquam ducentos, non erit difficile aliorum annorum duos centenarios adiungere: quibus si alios centum pluresue placuerit adscribere, nullo negotio libebit in diuturna possessione rei pulcherrimæ pedem ponere. Suffragantur autem nobis multa doctissimorum testimonia, quæ singula suo tempore dicenda sunt, omniumque contradicentium cateruis hominum nuper natorum in ecclesia obsistere possunt. Origenes autem Tertulliano non multò posterior, suo quasi calculo approbat cuncta, quæ à Christianis fierent miracula, contra Epicureum Celsum scribens, qui impiè commentarium ediderat contra Iudæos & Christum idemque veri sermonem inscripse-

Origenes lib. 2. contra Celsum.

inscripserat, ratus si destrueret Mosen, facile Christum destructum iri: cùm idem Origenes hæc omnia Christianorum mirabilia dona in ecclesia etiam perpetuari videret, ac vt in clarissima luce & oculis omnium collocari cerneret indies contra iniquos Æstimatores talium, *sunt (inquit) certis iudicijs examinanda eorum miracula, desumptis ex moribus & vita, tum ex miraculorum effectibus, afferantne damnum hominibus, an correctionem moribus, vt sciamus quæ ab incantatore fiant, ministerio dæmonum, vel ab anima pura sanctaque & afflata diuino spiritu. Quod si quis prodigiosa fateretur miracula, negans vlla patrari diuinitùs, perinde facere videretur ac si fassus sophismata quædam esse & rationes probabiles negaret veras ac dialecticas.* Veris igitur omnis generis miraculosis tamen actionibus & fidem adhibendam & testimonium perhibendum esse Origenes censet, & cum examine & probatione non abnuit. Sed inquit aliquis fortassis, non est dubium de sanguinarijs temporibus ecclesiæ sub persecutorum iugo, totos tercentum annos, hæc omnia vel plæraque charismata viguisse. Neque grauate concedent durauisse quandiu procellis & turbinibus agitata & afflictata esset ecclesia, sed cum semel à cæde, â flamma, alijsque tormentis interquieuerat, vel parciùs, vel non omnino apparuisse. Quare dabit quod habent Hieronymus de viris illustribus, & Nyssenus S. Basilij frater de Gregorio Thaumaturgo & alijs. Atqui hoc dictu durum est; nos enim trecentis annis ante

Concilium

Concilium Nicænum, alios tercentum ſubſequutos annumerabimus: infinitum eſſet omnia percenſere numerando, omiſerim Sanctum Athanaſium, qui tempore Niceni Concilij vixit, eiuſque iudicium, enumerat Baſilius libro de ſpiritu ſancto; Spiritus ſancti dona, *omnia in illo perfecta ſunt, dilectio, gaudium, pax, tolerantia, bonitas, prudentia, ſapientia, conſilium & operationes virtutum, dona ſanationum & quæcunque alia.* At quis *Theod. l. 4. c. 17* ſolertior in ſingulis exequendis S. Baſilio? non (opinor) ipſe Galatem Valentis Imperatoris filiũ curabilem eſſe ſpopondiſſet, ac ex morbo deploratiſſimo ſanabilem, dummodo pater ab Arrianorum caſtris recederet, neq; Modeſtum Valentis præfectum, ſæuo correptum morbo, reapſe curauiſſet; nec (exiſtimo) Ambroſius Baſilij æqualis, *Paul. in vit. Ambroſ.* Stilichonis ſeruum â dæmone correptum, liberare & cupijſſet & præſtitiſſet, ſi Deo viſum fuiſſet illis temporibus auferre de medio eccleſiæ gremio, hæc egregia ſua chariſmata, nec eundem rurſus Stilichonis ſeruum Deo & hominibus exoſum, & aduerſus Ambroſium ingratum, poſtea in Ambroſiana Baſilica commorantem, integrũ & ſanum corpore, ſed malè ſanum mente & officio, quippe qui falſas tribunatus epiſtolas confecerat, Satanæ propterea tradidiſſet in interitum carnis, ne talia aliquis in poſterum audeat admittere, niſi aliqua virtutum edendarum illis temporibus facultas in nonnullis fuiſſet reperta. Quod ſi quis de rebus tam perſpicuis & claris

dubitationem aliquam in medium allaturus eſt, næ ille videtur mihi in media luce cæcutire, ac ſibi ſempiternam noctem offundere qui ſibi præclarè cauerit, nulli fuerit crediturus teſti, ne Ambroſio, ne Baſilio qui ſemper ſancti, ne Origeni, ne Tertulliano qui ſemper docti habiti ſunt, ne Irenæo, alijſque qui Martyrij laude præſtiterunt. Peribit omnium hiſtoricorum fides, ſi ab eccleſiaſticis qui hiſtoriam conſcripſerunt ſuorum temporum, aſſenſionem cohibebimus, nullis fortaſſis fidem adhibituri. Scio quidem commentationem hanc noſtram magnis quaſi inuidiæ ventis vndique circumflari, libenter igitur in ore habeo illuſtrium virorũ ſanioris & ſenioris ætatis dicta & facta, & præclarè intelligo me in eorum commemoratione verſari, qui & omni laude & fide, in veteri illa republica chriſtiana ſemper digni habiti ſunt. De quibus autem nulla monumenta loquuntur, nec aliorum nec ipſorum, quid eſt ſuperioris ætatis, quod de ijs ſcribi poſſit? Iam vero quis luculentior Author Diuo Hieronymo? quis locupletior teſtis beato Auguſtino? quis ambobus his omni laude fœlicior in prædicandis ſuorum & ſuperiorum temporum mirabilibus effectionibus? quod quæſo acroama, aut cuius vocem lubentiùs audiremus, quam eorum, quorum ætas effudit hanc copiam ſcientiſſimorum hominum in vnoquoque genere chariſmatum. Pleni ſunt omnes fere eorum libri, plenæ ſapientum voces; plena exemplorum vetuſtas,

neque

neque quicquam mirabile poteſt iacere in tenebris, cui tantum literarum lumen acceſſerit. Quare illiuſmodi nobilium & ſanctorum hominum perſonis totum hunc ſermonem ac diſputationem noſtram illigari cupio. Quantus vir ſanctus Hieronymus? at ille ſanctiſſimum virum vtpote ſeipſo abſque omni comparatione maiorem & ſanctiorem, admirabiliter laudari facit Hilarionem, de quo multa commemorat prope diuina. Multi philoſophi, mundique ſapientes idem factitarunt, eo quod *decem auribras reſpuerat, aurumque pro luto duxerat:* Sed ille agricolas & paſtores â noxijs ſerpentibus ictos ſanos reddebat, *certam (inquit Hieronimus) ſalutem reſumebat in Sicilia innumerabiles ægrotos, nec ex eo quicquam muneris accipiebat, & procuratorem villulæ paralyticum toto corpore iacentem ante fores collachrimans, tendenſque ad iacentem manum ſubleuabat, inquiens, tibi dico in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti ſurge & ambula: mira velocitas, adhuc verba in ore loquentis voluebantur, & iam membra ſolidata ad ſtandum hominem ſurrigebant. Multus eſt Hieronimus in laudatione Hilarionis, nec abs re fuerit, eundem Hieronimum proprijs verbis ſemper* loquentem introducere, quid Ariſtenetæ liberis acciderit boni ex huius ſancti viri miniſterio. *Ariſtenæta, Helpidij (qui poſtea præfectus prætorio fuit) vxor valde nobilis inter ſuos, & inter Chriſtianos nobilior, reuertens cum marito, & tribus liberis â beato Antonio, Gazæ propter eorum infirmitatem*

Hieron. in Vit. S. Hilarionis.

mitatem remorata est : ibi enim siue ob corruptum aerem, siue (postea vt claruit) ob gloriam beati Hilarionis serui Dei, hemitritæo pariter arrepti omnes, à medicis desperati sunt : iacebat vlulans mater, & quasi inter tria filiorũ cadauera discurrens, quem priùs plangeret nesciebat : cognito, quod in vicina solitudine esset quidam monachus, oblita matronalis pompæ, tantum se matrem nouerat, ad Hilarionem vadit, cui sic ait, per ego te Iesum clementissimum Deum nostrum obtestor ; per crucem & sanguinem, vt reddas mihi filios tres, & glorificetur in vrbe gentilium nomen Domini saluatoris, & ingrediatur seruus eius Gazam, & marnas coruat, renuente illo & dicente se nunquam egressurum de cella, prostrauit se humi crebrò clamitans, Hilarion serue Christi, redde mihi liberos meos quos Antonius tenuit in Egypto, à te seruentur in Syria. Flebant cuncti qui aderant, sed & ipse nelgans fleuit : non priùs mulier recessit quam ille pollicitus est se post solis occasum Gazam introiturum, quò postquam venit singulorum lectulos & arentia membra considerans, innocauit Iesum ; Et (ô mira virtus) quasi de tribus fontibus sudor pariter erupit, eadem hora acceperunt cibos, lugentemque matrem cognoscentes, & benedicentes Deum, sancti manus diosculati sunt ; quod postquam percrebuit certatim ad Deum ex Syria & Ægypto confluebant. Attende Lector quod in exemplo adduximus, grauatè accedit Sanctus Dei vir ad curationem talium, & non nisi cognita

& penitùs ſibi perſpecta voluntate diuina: venit tamen & quantumuis ipſa mater medicos anteà conſuluiſſet, ipſa ſupremam manum morbo, qui a medicis expugnari nequiuerat, ſolus impoſuit, ſuffultus Dei opitulatione, inuocato ante omnia ipſo nomine, & numine Ieſu. Quæro autem qui magis hodiè a Diua ELIZABETHA ſanantur, quam quos manus medica repudiauit, vel morbi curandi deſperatio fatigauit, & quo deniquè nomine alio quam Ieſu inuocato opem & auxilium tot Dei filijs Abrahæq; in fide filiabus ægris ſubminiſtrauit? Sed reuertatur oratio ad S. Hilarionem, per quem olim operatus eſt Deus ſanitates maiores, non minores per ſeruos ſuos operaturus, ſi feruore fidei eundem Dominũ Ieſum precibus interpellauerint, certè quidem quicquid petierint in nomine eius potiundi. *Facidia vicus eſt Rhinocoruræ vrbis Ægipti, de hoc (iam decem ſunt anni) cæca mulier adducta eſt ad beatum Hilarionem, oblatáq; ei à fratribus, omnem ſubſtantiam ſe expendiſſe ait in medicos, cui reſpondit, ſi quæ in medicis perdidiſti dediſſes pauperibus, curaſſet te verus medicus Ieſus: clamãte autẽ illa, & deprecante miſerecordiã, expuit in oculos eius, ſtatimq; ſaluatoris exemplo virtus eadem proſecuta eſt: Illud autem quod dixit, ſi quod in medicis perdidiſti dediſſes pauperibus, curaſſet te verus medicus Ieſus*, veriſſimum elogium, ac tanto viro digniſſimum; communi etenim huius vitæ experientia, maloq; didicimus tanto maiorem a Domino Ieſu obtinere vnumquemq; ſanitatis gratiam, quanto ipſe

maiorem erga pauperes beneficentiam exhibet, tanto autem minorē quanto dempserit id mendicis, quod in medicos eroget largitionum. Hucvsque Hieronymus ipse vir magnus et magnorum virorum Antonij Pauli eremitæ Hilarionis, & laudator & admirator maximus, ficta autem falsaq; miracula propinare mundo minimè credendus est qui fuit,

Prosper lib. de ingrat.

Hæbræo simul & Graio, Latioq; venustus
Eloquio, morum exemplum, mundiq; magister.

Ferè autem attigit Hilarionis ætatem. Vixit enim annos septuaginta octo, vel nouem, vel plures, vt testatur Prosper in Chronico: huic autem æqualis S. Augustinus supervixit, quorum ego testimonia tanti facio, quanti debeo, id est infinita laude cæteris omnibus qui postea testes citandi sint, antepono. Augustini itaq; auctoritas quanti estimanda est, in hac quam quærimus veritate præponderanda; cuius fuit iudicium acre, cognitio summa industria incredibilis, ingenium propè ad miraculum subtile & acutum, & in noscendis, ac internoscendis mirabilium effectionum, & euentis, & naturis: nunquam igitur vel narrandi vel laudandi finem facit, vt quantam audientiam faciat sibi, tantam huiuscemodi omnium fidem faciat alijs. Non pudebit illius vestigijs insistere: quam est diligens in hac materia quam pertractandam suscepimus? Omissa igi-

August. 22. lib. civ. cap. 8.

tur

tur miraculorum memoria, quæ vt mundus in Christum crederet, facta sunt; de eis potiùs quæ fieri mundo credente non desinunt, quæstionem mouet ex aliorum sententia. *Cur inquiunt, nunc illa miracula quæ prædicatis facta esse non fiunt? possem quidem dicere necessaria fuisse priusquàm crederet mundus ad hoc vt crederet mundus: Quisquis adhuc prodigia vt credat inquirit, magnum est ipse prodigium, qui mundo non credente credit: facta esse multa miracula quæ attestarentur illi, vni grandi salubriq; miraculo, quo Christus in cœlum cum carne in qua resurrexit ascendit, negare non possumus: In ijsdem quippe veracissimis libris cuncta conscripta sunt, et quæ facta sunt, & propter quod credendum facta sunt: Hæc vt fidem facerent innotuerunt, hæc per fidem quam fecerunt multo clarius innotuerunt: leguntur quippe in populis vt credantur, nec in populis tamen nisi credita legerentur: nam etiam nunc fiunt miracula in eius nomine, siue per sacramenta eius, siue per orationes, vel memorias sanctorum eius, sed non eadem claritate illustrantur, vt tanta quanta illa gloria* (scilicet in canone scripturarum) *diffamentur*, & rationem reddit Augustinus, *Illa enim vbiq; recitari & inhærere memoriæ cunctorum populorum oportebat: hæc autem vbicunq; fiunt, ibi sciuntur, quædam a paucissimis quando alibi alijsq; narrantur, quædam â quamplurimis, vt miraculum Mediolani quando illuminatus est cæcus, ad multorum notitiam potuit peruenire, quia grandis est ciuitas, & ibi erat imperator, & immenso populo gestares est concurrente ad corpora Martyrum Protasij*

& Gerualij: Quæ cum laterent, & penitus nescirentur, episcopo Ambrosio per somnium reuelata sunt reperta, vbi cæcus ille depulsis veteribus tenebris diem vidit. Meminit sæpius huiusce egregij miraculi pluribus in locis Augustinus, & libro retractationum primo, capite quarto, & de vnitate ecclesiæ capite 16. in locis sanctis *per totum orbem, quæ frequentat nostra communio, tot & tanta mirabilia exauditionum & sanitatum fiunt, vt ad latentia corpora reuelata, cæcus multorum annorum in Mediolanensi ciuitate notissimus, oculos, lumenq; receperit.* Sed Italia discedamus, traijciamus in Africam.

Carthago Italiam contra est Tiberinaq; longè, ostia.

Apud Carthaginem autem quis nouit (inqui) tpræter paucissimos salutem, quæ facta est Innocentio exaduocato vicariæ præfecturæ, vbi nos interfuimus, & oculis aspeximus nostris: venientes enim de transmarinis, me & fratrem meum Alipium nondum quidem clericos, sed iam Deo seruientes, vt erat cum tota domo sua religiosissimus ipse susceperat, & apud eum tunc habitabamus: curabantur a medicis propter fistulas, quas innumerosas & perplexas habuit, in posteriore atquè ima corporis parte; Iam secuerant eum, & artis suæ cætera medicamentis agebant, passus autem fuerat in sectione illa, & diuturnos & acerbos dolores, sed vnus inter multos sinus fefellerat medicos, atq; ita latuerat,

vt

vt eam non tangerent, quem ferro aperire debuerant. Longa eſt narratio Auguſtini, nos eam contractiorem faciemus, *plures adhibentur medici, ſanatis omnibus quæ aperte curabant; iſte remanſerat ſolus, cui fruſtra impendebatur labor: quas moras ille ſuſpectas habens, multumqué formidans ne iterum ſecaretur, quod ei prædixerat alius medicus domeſticus eius quem non admiſerant illi: præterierunt dies plurimi, nihilqué proficiebat, omne quod fiebat, medici tamen in ſua pollicitatione perſiſtebant, non ſe illum ſinum ferro, ſed medicamentis eſſe clauſuros. Adhibuerunt & alium grandæuum medicum Ammonium, qui loco inſpecto idem promiſit, cuius ille authoritate ſecurus factus, domeſtico ſuo medico, qui futuram prædixerat aliam ſectionem, faceta hilaritate, velut iam ſaluus, eluſit: quid plura? Poſtea tot dies inaniter conſumpti tranſierunt, vt feſſi atque confuſi faterentur eum niſi ferro nullo modo poſſe ſanari; expauit, expalluit, nimio timore turbatus, atqué vbi ſe collegit, fariqué potuit, abire illos iuſsit, & ad ſe amplius non accedere, nec aliud occurrit fatigato lachrimis, & illa iam neceſsitate conſtricto, niſi vt adhiberet Alexandrinum quendam, qui tunc Chirurgus mirabilis habebatur: venit ille, laboremqué illorum in cicatricibus, ſicut artifex vidit, boni viri functus officio; perſuaſit homini vt illi potiùs, qui in eo tantum laborauerunt, quantum ipſe inſpiciens mirabatur, curationis ſuæ fine fruerentur, adjciens, quod reuera niſi ſectus*

esset, saluus esse non posit: placuit consilium, vt eodem Alexandrino assistente ipsi sinum illum ferro aperirent, quæres dilata est in consequentem diem: sed cum abijssent illi, ex mærore nimio Domini, tantus est in domo illa exortus dolor, vt tanquam funeris planctus vix comprimeretur â nobis. Visitabant eum quotidiè sancti viri, Episcopus tunc Vzalensis beatæ memoriæ, Saturninus, & Presbiter Gelosus, ac Diaconi Carthaginensis ecclesiæ; in quibus erat, & ex quibus solus est nunc in rebus humanis cum honore a nobis debito nominandus Aurelius, cum quo recordantes mirabilia opera Dei, de hac re sæpe colloquuti sumus. Qui cum eum vesperi visitarent, rogauit eos miserabilibus lachrimis, vt mane dignarentur præsentes esse suo funeri, potiùs quam dolori; tantus enim eum metus ex prioribus inuaserat pœnis, vt se inter medicorum manus non dubitaret esse moriturum; consolati sunt eum, vt in Deo fideret, eiusqué voluntatem viriliter ferret, inde ad orationem ingressi sumus: vbi nobis ex more genua figentibus, atque incumbentibus terræ, ille ita se proiecit, tanquam fuisset aliquo impellente grauiter prostratus & cœpit orare: quibus modis, quo affectu, quo motu animi, quo fluuio lachrymarum, quibus gemitibus atqué singultibus, succutientibus omnia membra eius, & pene intercludentibus spiritum, quis vllis explicet verbis? vtrum orarent alij, nec in hæc eorum auerteretur oratio nesciebam. Ego tamen prorsus

orare

orare nihil poteram; hoc tantummodo breuiter in corde meo dixi, Domine, quas tuorum preces exaudis, si has non exaudis? nihil enim mihi videbatur addi iam posse, nisi vt expiraret orando. Surreximus, accepta benedictione ab Episcopo discessimus; illuxit dies qui metuebatur, aderant serui Dei, ingressi sunt medici, parantur omnia quæ illa hora poscebat, tremenda ferramenta proferuntur, attonitis suspensisq; omnibus: Eis autem quorum erat maior authoritas; defectum animi eius consolando erigentibus, secturi membra componuntur, soluuntur nodi ligamentorum, nudatur locus, inspicit medicus, & secandum illum sinum, armatus atqué intentus inquirit, scrutatur oculis, digitisqué contrectat, tentat deniqué modis omnibus, inuenit firmissimam cicatricem. Iam illa lætitia, & laus, atqué gratiarum actio misericordi atqué omnipotenti Deo quæ fusa est, ore omnium, lachrymantibus gaudijs, non est committenda meis verbis, cogitetur potiùs quam dicatur. Miraculosam sane fuisse effectionem sanitatis quis dubitat? & precibus Christianorum virorum impetratam? vt incolumitas homini Christiano â Christo, non a medicis obueniret. Pergit porro Augustinus, *In eadem Carthagine, Innocentia religiosissima fœmina* (sicut erat Innocẽtius religiosissimus vir) *de primarijs ipsius ciuitatis, in mamilla cancrum habebat, rem (sicut medici dicunt) nullis medicamentis sanabilem, aut ergo præsci-* Hippocrat. *di solet, & a corpore separari membrum vbi nasci-*

tur, aut vt aliquando homo quietus viuat, fomentis est pestis mitiganda frequentibus. Nam vt inde mortem quantumlibet tardius affuturam confidamus, secundum Hyppocratis (vt fertur) sententiam, omnis est omittenda curatio: Hoc illa a perito medico acceperat, & ad solum Deum se orando conuerterat; admonetur in somnijs appropinquante pascha, vt in parte fœminarum obseruanti ad Baptisterium, quæcunque illi baptisata primitus occurrissent, signaret ei locum signo crucis Christi, fecit, & confestim sanitas secuta est: medicus sane qui ei dixerat, vt nihil curationis adhiberet, si paulo diutiùs vellet viuere, cum postea inspexerat, ac sanissimam eam esse comperisset, quæsiuit ab ea vehementer, quid curationis adhibuisset, cupiens quantum intelligi datur, nosse medicamentum quo Hyppocratis definitio vinceretur: cumquè ab ea quid factum esset, audisset, voce velut contemnentis & vultu, ita vt illa metueret ne aliquod contumelioſum verbum proferret in Christum, religiosa vrbanitate respondisse fertur, putabam (inquit) magnum aliquid te mihi fuisse dicturum, atqué illa iam exhorrescente, mox addidit, quid grande fecit Christus sanare cancrum, qui quatriduanum mortuum suscitauit? Ingens miraculum (inquit Augustinus) *& quo multi audientibus, multumq; mirantibus glorificatus est Deus*, quod non auditione acceperat, sed proprio oculorum obtutu viderat, nimirum cum illa ipsa quæ curata est, verba vltro citròque habuerat Augustinus:

Et

Et quia medicus interfuerat, accipe etiam quæ de medico literis prodit, qui cum ſeipſum ſanare non poterat podagricum in eadem vrbe, cùm *dediſſet nomen ad baptiſmum, pridie quàm baptiſaretur in ſomnis à pueris nigris cirratis, quos intelligebat dæmones eſſe, baptizari eodem anno prohibitus eſſet, eiſque non obtemperans etiam conculcantibus pedes eius, in dolorem acerrimum qualem nunquam expertus eſt, iſſet, magiſque eos vincens, lauacro regenerationis vt vouerat ablui non diſtuliſſet; In baptiſmate ipſo non ſolùm dolore quo vltra ſolitum cruciabatur, verum etiam podagra caruiſſe, nec amplius cum diù poſtea vixiſſet, pedes doluiſſe compertus eſt.* Eius generis illud eſt, quod *quidam Curubitanus non ſolum â paralyſi, verùm etiam ab informi pondere genitalium, cùm baptiſaretur, ſaluus effectus eſt, & liberatus vtraque moleſtia tanquam nihil mali habuiſſet in corpore, de fonte regenerationis aſcendit, quis hoc præter pauciſſimos nouit? nos autem cùm hoc comperiſſemus, iubente ſancto epiſcopo Aurelio, vt veniret Carthaginem fecimus, quamuis à talibus prius audierimus de quorum fide dubitare non poſſemus.* Longum eſt omnia perſequi, De Baſſo Syro apud Hypponem, de Eleuſino viro Tribunitio, de Iuuene paralytico ruſticano, de duobus Erronibus, Paulo & Palladia, fratre & ſorore tremore omnium membrorum correptis horribiliter, fœdiſſima ſpecie toto pene orbe Romano vagantibus, eccleſiam quotidiè ingredientibus, & in ea memoriam glorioſiſſimi Martyris frequẽtantibus, oran-

tibus vt sibi iam placaretur Deus, & salutem pristinam redderet, qui duo, inspectante tota eccle-clesia, oranteque, ipsoque Augustino narrationis totius libellum ad populum recitante, & de tota ipsa causa diligentiùs disputante incolumes redditi sunt; ipse Augustinus ne videatur vel falsus, vel fallax, nomina & cognomina notat, & designat loca, & curationum genera, & rogat veniam, quia omnia enumerare non potuit: *si enim miracula sanitatum (vt alia taceam) modò velim scribere, quæ ad memorias Sancti Stephani, in diuersis colonijs facta sunt, plurimi* (inquit) *conficiendi sunt libri*, nec tamen omnia colligi poterunt; sed tantum de quibus libelli dati sunt, *id namque fieri voluimus, cum videremus antiquis similia diuinarum signa virtutum, etiam nunc temporis frequentari, & ea non debere multorum notitiæ deperire.* Recenset deinceps numerum libellorum, qui dati sunt ad septuaginta ferme intra biennium apud Hipponem regium excreuisse, alibi mirabilium sanitatum ad multitudinem innumerabilem peruenisse effecta. Etenim libellorum dandorum, quibus notitia harum rerum gigneretur, tum erat noua consuetudo: ostendit etiam Augustinus quomodo Petroniam clarissimam fœminam, *quæ mirabiliter ex magno & diuturno, in quo medicorum adiutoria cuncta defecerant, languore sanata est*, Hortatus ipse esset, volente idipsum Vzalensis coloniæ Episcopo, vt libellum daret qui recitaretur in populo, & obedientissimè paruit. *Clarissima fœmina est, nobi-*

nobiliter nota, nobiliter nupta, Carthagine habitat, ampla ciuitas, ampla perſona, rem quærentes latere non ſinunt. Poſtremo propter quod omnia iſta dicuntur à nobis, in eum qui aſcendit in cœlum cum carne in qua reſurrexerat credidit. Ergo etiam nunc concludit ſanctus pater, ex tot antecedentibus, fieri multa miracula, eodem Deo faciente per quos vult, & quemadmodum vult, qui & illa quæ legimus fecit. Dixerat dudum S. Auguſtinus aliquid humani paſſus, fieri *multas & magnas virtutes, vel martyribus impetrantibus, vel ad memorias martyrum* pro ſalute hominum: Sed tamen cum huic queſtioni de perfectione mirabilium ſanitatum colophonem addit ſubdubitando, quaſique melius ſe ipſum interpretando totam diſputationem ita concludit, vt in iudicio viri boni relinquat, quid eſſet melius, æquiuſque opinandum. *Siue enim Deus* (inquit) *per ſeipſum miro modo, quo res temporales operatur æternus, ſiue per ſuos miniſtros iſta faciat, & eadem ipſa quæ per miniſtros facit, ſiue quædam faciat per martyrum ſpiritus, ſicut per homines adhuc in corpore conſtitutos, ſiue omnia iſta per Angelos, quibus inuiſibiliter, immutabiliter & incomparabiliter imperat, operetur, vt quæ per martyres fieri dicuntur, eis orantibus tantum, & impetrantibus, non etiam operantibus fiant, ſiue alia fiant iſtis, alia illis modis, qui nullo modo comprehendi à mortalibus poſſunt, ei profecto atteſtantur hæc fidei in qua carnis in æternum reſurrectio prædicatur.* Denique monet ſapienter, vt libelli eorum qui ſanitatum beneficia

cia perceperunt diligenter in populo recitentur, vt diuturnior sit gratulatio, & gratiarum actio apud plebem christianam iucundior. Videmus igitur, ac quasi in aperto propositum theatro orbis christiani videmus, sanationis donum ante millesimum & centesimum annum, & â Christianis aduersum Christianos præstitum in ipsa ecclesiæ frequentia, factitatum legimus â fidelibus hominibus, ne quis dicat miracula tantummodo infidelium gratia patrari, quin potiùs dicat nihil esse aptius, & magis idoneum post diuina oracula, & ad gignendam & ad augendam fidem ipsis miraculis. Sed quis tam cæcus in contemplandis rebus esse potest, vt non videat, quota quæque sanitas euenerit, & vnde prouenerit eiusce sanitatis gratia, quid autem in illo vitæ suæ curriculo Augustinus & experiundo didicerit, & auditione ab alijs acceperit, & literis consignarit etiam exemplorum tot recordatione perspicuum est: quid autem per eum Deus in extremo vitæ articulo operari voluerit, vt quodam quasi signo res ab eo piè sancteque gestas testatissimas mundo relinqueret. Narrat Possidonius qui quadraginta propemodum annis, cum eo vixit summa concordia, cùm ex vltima ægritudine afflictaretur Augustinus, *venisse quendam cum suo ægroto, & rogauisse vt manus ei imponeret, quo sanus esse posset, visitatum enim se fuisse, sibique per somnium dictum esse, vade ad Augustinum episcopum, vt ei manum imponat, & saluus erit, respondisse*

Possidonius in vit. August. c. 18. 29. & c. 30.

tum

tum autem ei Augustinum, si aliquid in his posset, sibi hoc vtique primitùs præstitisset, quod cum comperisset, facere non distulit, & illum continuò sanum ab eo discedere fecit. Hæc de miraculo Possidonius, cùm iam fœlicem ad Deum transitionem meditabatur S. Augustinus, vt minimè mirandum sit, eundem Augustinum totis voluminibus consectari illiusmodi sanitatum documenta, & vndique conquirere. At quantus vir? & quàm infinita laude dignus? quod & quale flumen eloquentiæ per omnes campos ecclesiæ vbertim decurrens? qualis & quam magnus ecclesiæ catholicæ magister? sal orbis terrarum, ingenij, industriæ, & sanctitatis lumen: huic ego præconi sanitatis charismatum non credam? non omni fide dignum iudicem? cuius ego religioni plurimum tribuo, testimonium tanti facio, vt innumeris contradicentium cateruis præferam. Satis igitur hoc testium est, vel nihil satis est, non pigebit tamen alios testes veritatis citare, vt diuturnitatem huius doni probemus in ecclesia nobilitatemque: Obijt itaque Augustinus quinto Calendas Septembris, cùm Hipponensis ciuitas à Vandalis obsessa esset, mense obsidionis tertio, anno Christi quadringentisimo tricesimo in canitie bona mortuus est, sed non emortuum est hoc ipsum sanationis donum: nam & alij sancti viri post Augustinum isto charismate celebres extitêre. Proinde antiquis similia diuinarum signa virtutum erant tum frequentia (vt loquar cum Augu-

ſtino, & ab illo Auguſtini ſæculo, vſque ad Iuſtinum Seniorem Imperantem, id eſt annum Chriſti quingenteſimum & decimum octauum ampliuſue intercurrebant octoginta fere anni. Quæ autem mirabiles ſanitatum gratiæ, & effectiones magnæ fuerint, teſtantur hiſtoriæ, quæ res geſtas eccleſiæ memorabiles complexæ ſunt, quæque ſubſequutæ ſunt ab anno quingenteſimo viceſimo ad initium ætatis ſeptimæ, id eſt ſexcenteſimum decimum Chriſti annum, quouſque Nicephori pertexitur hiſtoria, â ſcriptoribus illorum temporum, quaſi locupletibus teſtibus petendæ ſunt, vt quandiu eccleſiæ aliqua ſaltem puritas remanſerit, tandiu puriora etiam miracula reliqua fuerint, in omnibus tamen eccleſiæ ætatibus ſiue purioribus, ſiue corruptioribus quædam veſtigia iſtarum mirandarum ſanitatum, aliarumque gratiarum, veraque cum falſis certantia, falſaque rurſùm cum veris admiſta miracula reſtiterunt. Sed non eſt nobis ſermo de fallacibus dæmonum præſtigijs, vel pſeudoprophetarum immundorumue ſpirituum, mundiuè miraculis, ſed tantummodo de veracibus ſanctorum virorum virtutibus, diuiniſque prodigijs tota diſceptatio inſtituta eſt. Vim igitur ſuam tranſmiſerunt talia per omnes mundi cardines, neque ſolum Africa teſtis eſt, ſed vniuerſam Aſiam noſtramque Europam peragrauerunt. Et quanquam meridies & oriens eiuſmodi admirandis rebus geſtis ſeruorum Dei illuſtrabantur, ad ſexcentos ſeptingen-

tingentoſque ſupra annos; tamen & occidens & ſeptentrio luce conſimilium perfundebantur. Ac etiam quoniam Inſulæ Domini ſunt hæreditas, *Dominus regnat, terra exultet, inſulæ innumeræ lætentur*, In Britanniam noſtram Inſularum Dominam iam olim effectionum mirabilium gratia peruenit. Ex auctoritate enim S. Proſperi ſatis liquet, ſanctum Germanum â Celeſtino Papa in Britanniam miſſum eſſe, ſed Beda à ſynodo Gallicana factum eſſe prodit, Conſtantius Germanum & Lupum legatos eſſe miſſos in Britannorum inſulam, quæ inter omnes eſt, vel prima, vel maxima; *Erat in illis apoſtolorum inſtar gloria & auctoritas, per conſcientiam Doctrina, per literas virtutes ex meritis, Itaq; regionis vniuerſitas in eorũ ſententiã prompta tranſierat, latebant abditi ſiniſtræ perſuaſionis auctores: Pelagius enim Britannus cùm eſſet ex Britannia ſibi complures allegerat diſcipulos antea, hæreſeoſque Pelagianæ contagione populum infecerat. Deus autem quodam quaſi compendio fidem catholicam miraculo tum edito confirmauit, cum ſubito vir Tribunitinæ poteſtatis, procedit in medium cũ coniuge, filiamq; decem annorũ cæcam ſinibus ingeſſit ſacerdotum, quã illi offerri aduerſarijs præceperunt, ſed illi factionis ſcilicet Pelagianæ cõſcientia puniente deterriti, iungunt cum parentibus preces, & curationem paruulæ à ſacerdotibus precantur, qui expectationem populi & inclinatos aduerſarios intuentes, orationem breuiter fundunt, ac deinde Germanus ſanctam inuocat trinitatem, & in omnium conſpectu viſum puellæ reſtituit,*

Pſal.

S. Proſper in chronic. & alibi.

Hiſt. Angl. l. 1. c. 17. & de ſex etat. in Theodoſ. iuniore. Anno. 429. Theodoſio & Valentiniano Impera.

stituit, euacuatisque tenebris lumine veritatis impleuit; Totaq; vis curationis sanctissimæ trinitatis numini ascribenda est, nec alicuius ceremoniæ corruptela Diuinam infringere potentiam valitura est. Quod pari ratione opinandum est de multis sanationum generibus, quæ temporibus ecclesiæ magis deprauatis accidisse legere poterimus. In posteriori legatione huius Germani veniẽtis in insulam meminit Constãtius; Elaphium quẽdam primariũ virum *occurrisse in via, & stetisse secum filium quem in ipso flore ætatis debilitas dolenda occupauerat, erat enim arescẽtibus membris, contracto poplite, cui per siccitatem cruris vsus negabatur vestigij, statimq; Adolescentem Germanus sedere compulit, attrectat poplitem debilitate curuatum, & per infirmitatis spatia medicabilis dextera percurrit; salubrem tactum sanitas festina subsequitur, ariditas succum, nerui officia receperunt, & in conspectu omnium filio incolumitas, patri filius reformatur, implentur populi stupore miraculi, & in pectoribus omnium fides catholica firmabatur*. Huius nimirum Germani industria plebs quæ vacillare in fide orthodoxa videbatur, & quibus Pelagij peruersitas iucunda erat, facile veritati cedit, quasi postliminio restitutæ: minimè necesse erat vinci miraculis plebem christianam, quæ Dei oraculis credere firmiter debuerat; ea profecto imperfectorum fide vanitas & instabilitas: Sed nolim ego curiosius inuestigare quid in causa esset, quod talibus diuinæ veritatis sigillis vteretur Deus,

Constantius in vit. S. German.

Deus, miraculis nempe in eccleſia. Conſulendi primũ ſunt ſcriptores eccleſiaſtici vnde hauriatur factorum veritas, ratioqué factorum, deinde reddenda eſt ſi quid audendum in talibus. Illi igitur primæ ſecundæq; claſſis auctores rerum in eccleſia geſtarum audiendi ſunt: veluti *Euſebius*; deinde *Theodoritus*, *Sozomenus*, & *Socrates* auctores Græci, qui hiſtoriam maximè eccleſiaſticam a Conſtantino magno vſque ad Theodoſium iuniorem conſcripſerunt, Caſſiodorus vnam hiſtoriam ex illis tribus tripartitam vocat: *Nicephorus* autem monachus, non ille *Caliſthus Zanthopulus*, qui a Theodoſio iuniore quatuor deinceps Imperatorum res geſtas complectitur, ſed ille alter Nicephorus Caliſthus, qui ante annos trecentos, tricenoſq; vixit ſub Andronico maiore, & minore, & Michaele palæologo, & ſuam hiſtoriam ad ſexcentos ampliuſqué annos perducit, vſque ad imperiũ Phocæ. De Euagrio alijſq; pauca cõmemorabo. Legatur Euagrius lib. 4. c. 7. quid de Zoſima, quid de Ioãne de Chuzica Laura narrat, hic erat ille Zoſimas *qui abſens audierat ruẽtis Antiochiæ fragorẽ*, a quo plurima miracula edita ſunt, qui vixit ijſdẽ temporibus, quibus Ioannes de Chuzica Laura, qui locus *eſt poſitus in extrema valle ad Aquilonarẽ partẽ viæ regiæ, quæ Hieroſolymis recta ducit ad vrbẽ Hierichuntẽ, hic Ioannes Chuzubites vxori Arceſilai viri nobilis, ac Patritij alterũ oculũ radio effoſſum vt ſanaretur, ſpongia allata oculo vt dilapſus in ſedem reſtitueretur, medicis conſulebat, quæ illi gratia a Deo*

tributa est, (inquit Euagrius) *solus in cubiculum properare consueuerat, & Deum sicut fas est id genus hominibus familiariter compellare.* Remiserim ego lubenter cupidos lectores ad eorum commentarios, qua fide scripserint, qua authoritate valuerint, ponderibus suis quisq; examinato; venio ad tempora Gregorij magni, qui illis ætatibus anteactis posterior fuit, multisque posteris Episcopis, alijsque authoritate, & fide prior & potior. Dicat testimonium causæ quæ in iudicium venit: *Hic plerunq; aspicimus viros sanctos mira agere, virtutes multas facere, leprosos mundare, dæmonia eijcere tactu, ægritudinis corpora sanare, prophetiæ spiritu vētura prædicere.* Exempla autem quorundam adducit Iohannis & Agapeti Pontificum, quorum alter cæcum illuminauit ad portam auream, (suspectiora fortassis) Constantinopoli alter claudum & mutum curauit; vti ipse habet in dialogis, libro tertio, capite secundo & tertio. Constat etiam de compluribus alijs, sicut animaduersum est a *Magdeburgicis* centuria sexta, multos Doctores tum monachos tum Laicos miraculorum, & prophetiæ dono fuisse commendatos. Præclare semper annotauerunt celebriores quosque viros miraculorum gloria, & studiose collegerunt ex Paulo Diacono libro sexto, & capite decimo octauo, de Longobardis, & ex Albino, alijsque, quanquam melius est ex ipsis fontibus quam aliquorum riuulis haurire omnia: De succedentibus ecclesiæ temporibus octingentorum annorum non perinde

Greg. hom. 17. super Ezech.

perinde anxij ſollicitiue ſumus, ac de ſexcentis annis, qui Apoſtolica tempora ſequuti ſunt: non enim omnia tam ſarta tecta erant in domo Dei viuentis, quæ eſt eccleſia, facies miſeranda ac deploranda rerum omnium fere in chriſtiano orbe, neque doctorum tanta claritas, nec ſcriptorum puritas, tum ſanctorum oſſa, ac relquiæ colebantur, omniaque ſuſque deque habebantur, hinc noſtri fundi Chriſtiani calamitas. Quare nunquam in animum inducam meum; vt illa miracula facta in Anglia ab Auguſtino & ſocijs, de quibus Gregorius & Beda, & quæ ab Oſualdo Rege libro tertio, capite ſecundo perpetrata leguntur, omni modo ac ratione vera credam, neque illiuſmodi miracula ſuſcipere poſſum veneratione ac fide mea, quæ idem Bæda recitat octauo ſæculo a Cuthberto & S. Iohanne in noſtra Anglia: nec alia innumerabilia ſubſequentibus ſæculis nono & decimo Tharaſij ſcripta ab Ignatio Nicæno, & S. Romualdi literis conſignata a Petro Damiani, eaque anologiæ fidei, & veritati hiſtoriæ conſentanea omnia plané agnoſcam. Tantum abeſt, vt miraculis Gregorij Papæ ſeptimi eius nominis aſſenſionem præbeam, quæ vndecimo ſæculo patrata memorantur. Sit ille Edouardus Rex, & cœlebs celebris, & miraculorum gloria clarus circa id tempus eccleſiæ, ſit in æterna gloria apud nonnullos S. Malachias, Epiſcopus Armachanus, de quo ſic effatur Bernardus in vita eius, poſteaquè multa eius narrauit miracula:

Greg. lib. nono. epiſt. 58.

Beda lib. primo hiſt. Cap. 31.

Lib. hiſt. 4. & 5

Bernard in vit. S. Malach.

quo

quo Antiquorum genere miraculorum Malachias non claruit? Si pauca ipsa quæ dicta sunt bene aduertimus, non prophetia defuit illi; non reuelatio, non gratia sanitatum, non mutatio mentium, non deniq; mortuorum suscitatio. Anteponatur omnibus ipse Diuus Bernardus, si vera sunt quæ de ipso scribit, qui cum eodem Bernardo vixit Gotfridus, plurimis & maximis fulsit miraculis: Nam vna die in Constantiensi diœcesi constat, lumina reddidisse cæcis vndecem, sanasse mancos decem, claudos octodecem curauisse, vt difficile admodum sit omnium ab eo rerum mirabiliter gestarum numerum inire. Floruit S. Bernardus sæculo duodecimo, & hoc præclaro sanationis dono si quis alius floruit; laudetur sane magnopere ab hominibus credulis beatus ille Franciscus, cuius vitam miraculis refertissimam scribit Bonauentura, & Dominicus magnus quidem miraculorum effector, laudetur in vulgus, iure merito, an iniuria nunc non disputo, prædicetur apud omnes beatus Thomas ex prædicatorum ordine, & beatus Antonius, nescio quis, & S. Bonauentura ex minorum ordine non Sanctus minimus, & Celestinus pontifex, tam ante pontificatum, quam postea (haud dixerim) inter pontificatum gerendum, scelestus an Sanctus, qui annis mille trecentis post Christum floruerunt. Si verus temporum testis perhibendus est Antoninus, miracula ætatis decimæ quartæ, Sancti Bernardini, & Sanctæ Catharinæ Senensis, multis planè incredibilia recenset: adeoqué

Gotfridus lib. 4. c. 4. in Vit. Bernardi.

Part. 3. hist. tit. 23. & 24

deoquè decimæ quintæ ætatis Sanctum Vincentium mirabiliariorum maximum, ipſe non minimus miraculorum perpetrator laudibus cohoneſtat Antoninus. Sit fides horum omnium penes auctores ſuos. De toto genere hoc ſtatuendum cenſeo, nec omnibus miraculis vtpote falſis, nec aliquibus vtpote veris credi oportere, aliquando vera falſis ſic eſſe admiſta, vt difficilior ſit internoſcendi nota: Durum dictu eſt, totius antiquitatis oculorum quaſi aciem caligaſſe, quæ miracula viderit, audiuerit, ſcripſerit, aut nouitatem, aut vanitatem recentiorum vetuſtati velle anteponere, quæ noua, inopinabilia, & ſtulta miracula inuexerit: multa fateor negligentius ſcripta eſſe, & cuſtodita a maioribus noſtris indiligentius, multa tenebris inuoluta, complura contemptiora, quam vt literis conſignari deberent; ſed tamen nec obſcura certorum, nec ambigua credibilium, nec falſa verorum fidem tollere debent. Legat vnuſquiſque & credat in hoc genere quod & quantum piè credere poteſt. Equidem quod ad me attinet, media incedam via, non adhibebo fidem vllis miraculis, normæ ipſius fidei è diametro repugnantibus, nec detraham illis in quibus virtus ſeruorum Dei, vel potius Dei digitus exertus fuerit, non ſinit Deus tam præclarum ſanationis donũ interire in media eccleſia. Atqui in dijudicandis miraculis nolumus eſſe tam imperiti, vt quaſuis præſtigias pro veris miraculis habeamus. *Cautũ me fecit Deus*

meus contra istos mirabiliarios, dicendo in nouissimis diebus exurgent pseudoprophetæ, facientes signa, &
August. in Iohan. tract. 13 *portenta, vt inducant in errorem si fieri possit etiam electos.* Habeant igitur sibi seductores falsa, & futilia, & inutilia miracula omnium ætatum, in quibus infinitam visorum, prodigiorum, præstigiarum cohortem, mendaciorum multitudinem infinitiorem, inueniemus: quæ omnia eum in finem comparata sunt, vt falsis de religione opinionibus imbuerentur, ac irriterentur simpliciores Christiani. Hinc idololatria multiplex, & idolorum plaustra inuecta sunt in ecclesiam Dei: hinc mortuorum inuocatio, hinc statuarum adoratio, hinc votorum pro mortuis nuncupatio, hinc indulgentiarum nundinatio, hinc innumerabilium fallaciarum commenta manauerunt, omnemque locum peragrauerunt in tenebrarum regno: vbique aliquis Diuus, vel Diua, vel mortui anima volitans, viuorum auxilium implorans, apparuisse dicitur, vel miraculum ostendisse commemoratur; hinc illæ statuarum in ecclesia progressiones, stationes, risus, vel potiùs derisus; nutus varij, motus animarum, lachrimæ, suspiria, petitiones, confessiones Christi, Mariæ, Apostolorum frequentes itiones, & reditiones, morborum fictæ ac fucatæ sanationes, & huius generis mille ludibria, vt populo errorem, mentibus horrorem inijcerent, ac superstitionum laqueis illigarent plebem Christianam: hec vera esse nouerunt omnes, vt nemini nouum videri possit,

poſſit, cum ementitia miracula habita pro veris, & cantent in montibus paſtores, & in theatris poetæ, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & magiſtri in ſcholis, & antiſtites eorum in ſacris locis, & in orbe terrarum omnes ferè mortales meminerunt: *Remoueantur iſta vel figmenta mendaciũ hominum, vel portenta fallaciũ ſpirituum,* qualia Donatiſtarum erant, *ne dicant ideo verum eſt quia illa & fecit Donatus vel Pontius, vel quilibet alius, aut quia homines ad memorias mortuorum noſtrorum orant, & exaudiuntur, aut quia illa ibi contingunt, aut enim vera non ſunt quæ dicuntur, aut ſi hæreticorum aliqua mira facta ſunt, magis cauere debemus; quia Dominus prædixit aliquos futuros fallaces, non omnes, nam in locis ſanctis ait per totum orbem, quæ frequentat noſtra communio, tot & tanta mirabilia exauditionum & ſanitatum fiunt, veruntamen adiſta quæ hominibus viſibiliter nota ſunt, quis poteſt eius conſilium perſcrutari: Quare in alijs locis hæc miracula fiant: In alijs non fiant, multis enim notiſſima eſt ſanctitas loci, vbi beati Fælicis Nolenſis corpus conditum eſt, & corpora ſanctorum martyrum Mediolani, in Gallia Ciſalpina,* vbi quotidiana tunc pene fiebant miracula, & ſubiungit: *nunquid non & Africa ſanctorum martyrum corporibus plena eſt? & tamen nuſquam hic ſcimus talia fieri,* non dicit Auguſtinus nulla omnino fieri, *ſicut enim* (inquit) *non omnes Sancti habent dona curationum, nec omnes habent dijudicationem*

Auguſt. in Ciuitat. eccleſia.

Epiſt. 137.

tionem spirituum: Ita nec in omnibus memorijs sanctorum ista fieri voluit ille, qui diuidit propria vnicuique sicut vult. Tantum abest Augustinus a condemnatione veracium miraculorum, vt pro stabilitate & perpetuitate eorundem in ecclesia semper concludat: sicut igitur ab authoritate Augustini hanc totam materiam exorsi sumus, ita vniuersam causam proxime post scripturas eius authoritatis robore confirmemus, si ipsius Chrysostomi testimonium, vt prius tempore in ecclesia Græca velut alterius in ecclesia latina recitauerimus. Quærit Chrysostomus quamobrem signa quædam fiunt; & respondet quæstioni, signa quædam fieri, *vt alliciantur homines, quædam pro consolatione fidelium*: & quærit vlterius, cur *cum tempore Apostolorum facta sunt signa suo tempore non fiant?* & soluit quæstionem, quia (inquit) *quanto certiores & magis necessariæ res sunt, tanto fidem esse minorem, vel quanto certius demonstretur argumentum, tantum fidei præmio detrahi*: idcirco signa in præsentia non fieri. Postea concedit tamen suo quoque tempore signa fieri licet non talia: Si *signa quæres, signa* (inquit) *conspicabere, prophetias innumeras, orbis terrarum conuersionem, barbarorum philosophiam, pietatis propagationem*, & id genus alia. Neutiquam tollit miraculorũ efficientiam: *quamuis enim hæc fecerit Dominus in ecclesia, vt incitaret ad fidem, & hæc fides ferueret in toto orbe diffusa*

Hom. 28. in Act. 9.

Hom. 6. in 1. Cor. c. 2.

diffusa, tamen miraculorum operationem non tollit cum incremento fidei : alio loco inquit Augustinus. *cùm commemorâssem miracula quæ Dominus Iesus fecit, cum hic esset in carne, adiunxi dicens, cur inquietis ista modò non fiunt? atqui respondi, quia non mouerent nisi mira essent; si autem solita essent, mira non essent, hoc autem dixi, quia non tanta, nec omnia modo, nõ quia nulla fiunt etiã modo.* Perspicuũ valde est omnia miracula nequaquam desijsse in terris, ex testimonio non solum veterum, sed etiam ex authoritate hominum recentiorum. *Centuria prima, libro secundo, capite quarto, non est hoc silentio prætereundum (inquiunt Magdeburgenses) quod Apostoli nusquam affirment donum miraculorum præsertim externorum omnibus ætatibus æquè fore commune & vulgare, nam absque dubio voluerunt indicare, confirmata doctrina euangelij miracula etiam illa cessatura; quare cum de ministrorum officijs loquuntur Apostoli, nusquam inter communia ministerij opera recensent facultatem edendi miracula, vt cernere est, 1.Tim.c.2. & Tit.1. sed singulare donum Dei docet esse Paulus, 1.Cor.12. quod non omnibus æquè contingit : Inquit enim num omnes habent dona sanationum? Postremo & ipsa historia sæculi Apostolorum testatur miraculorum frequentiam subinde decreuisse.* Hactenùs ecclesiasticarum centuriarum scriptores. Probabile est hoc donum etiam nunc esse, sed non perinde commune esse miracula hodie existere, sed non eadem numero, vel specie, vel dignitate paria, vel multitudine frequentia,

Augustin. Ser. 18. de Verb. domin.

Retract. lib. 1. Cap. 14.

quentia, vel claritate excellentia: Esse præterea donum, at non vulgare, sed singulare donum, non proprium vnius generis hominum, vtpote ministrorum, sed quorundam virtute, sanctitate, & auctoritate præcellentium Christianorum, & perpaucorum esse. Equum est intelligere hoc esse dictum de externis miraculis (vt vocant) in ecclesia quæ manent semper in hoc vel illo genere, quamuis non est necesse, vt iterentur semper in vno & eodem genere, nam de iteratione eorundem omnium, in scripturis Dei nusquàm extat expressum verbum; interna verò, hoc est spiritualia miracula fiunt semper, & sunt omnium temporum per ministerium verbi, & preces piorum, virtute Domini nostri Iesu Christi, qualia sunt exhibitio spiritus sancti, viuificatio lapsorum, miraculosa conseruatio ecclesiæ contra Diabolum & totius mundi machinationes, contra tyrannidem persecutorum: externa & corporalia tum cum Deus quasi signum in loco alto, & edito tollere, ac demonstrare vult gloriæ suæ, sanctorumque suorum maiestatem.

Penes quos, qualesue homines sit hæc miraculosa sanandi gratia.

Cap. 5.

SAtis opinor testium produximus, & tam exemplorum luce quam rationum firmitate probauimus diuturnitatẽ cæ-

teranum

terarum effectionum mirabilium, & huius præſertim glorioſi chariſmatis, quod in ſanandis ægrotis verſatur in eccleſia Dei, ac etiam per omnes ætates deduximus, ad vltima mundi tempora perennitatem illiuſmodi donorum, vt nemo tam perfrictæ frontis, & peruerſæ mentis reperiatur, qui vel acuminibus compungere auctoritatem hominum, vel veritatem rei expungere auſit. Reſtat vt penes quos qualeſuè remanſerit hæc ſanitatum gratia, & miraculorum gloria, in quibus enituerit ratiocinemur. Hæc ſunt etenim de genere eorum quæ coniugata dicuntur, vt ſi chariſma tale ſanationis, & mirandæ operationis extitiſſe compertum ſit, & aliquos fuiſſe qui eo chariſmate gauderent, & eius laude præſtarent, manifeſtum ſit vnicuique hoc ipſum ab vltimis ætatibus repetenti. Etenim donum & eius vſum nec ſubiecto diſiungi nec diſcludi loco & tempore oportebit. Si vero tueri volumus muneris præſtantiam, & intueri debemus qualitatem perſonarum, quales & quam bene cordati viri ſint, qua ſanctitate præditi, qua fide imbuti, quibus moribus inſtituti, qua religione exculti, qua dignitate ornati, quibus virtutibus exaggerati fuerint, quē honoris gradum aſcenderint, quem perfectionis numerum conſequuti: Hæc omnia veniunt in certamen cauſæ, quam agimus in præſentia: omnino autem credibile eſt, & Ethnicos, & Antichriſtum, & Antichriſtianos, & hæreticos interdum, & malos Chriſtianos facere ſigna & prodigia *Math. 24. Apoc. 2.*

gia magna: tamen sæpenumero qui patrant miracula in ecclesia, esse fideles, esse pietatem & religionem colentes crediderim lubentius; & rationem reddit Gregorius illa aurea sententia vsus: *Pulchritudo (inquit) operum exteriorum ornat habitaculum Dei quod adhuc latet interius, & addit ibidem, plerúmque sanctos viros aspicimus mira agere, virtutes multas facere, leprosos mundare, dæmonia eijcere, tactu ægritudinis corpora sanare, prophetiæ spiritu ventura prædicere, cuncta itaque hæc nec dum palmæ sunt, sed adhuc picturæ palmarum: nam hæc aliquando dantur & reprobis, Math. 7. multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine nonne in nomine tuo virtutes multas fecimus, & tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos, discedite à me qui operamini iniquitatem. Nam hæc aliquando dantur & reprobis, vnum vero signum electionis est soliditas charitatis, in hoc omnes noueritis quod mei discipuli estis, quod charitatem habeatis.* Ergo & miracula faciunt electi, & faciunt reprobi, sed (inquit) hæc miracula cum electi faciunt longè dissimiliter à reprobis fiunt, *quia quod electi ex charitate, hoc reprobi student per elationem agere; sed ijsdem electis ipsa mira quæ per charitatem faciunt, non iam sunt palmæ, sed adhuc pictura palmarum, quia de eis foras ostenditur quales apud omnipotentem Deum intus habeantur.* Disertè loquitur Gregorius ex scriptura: multi venient, & dicent, & facient miracula in nomine Christi, multi Antichristi, multi pseudoprophetæ, multi operarij mali: extra ecclesiam sunt Pagani & Athei,

Gregor. hom. 17 super Ezechiel.

intraque

intraque eccleſiam (velut intra aream) ſunt munda & immunda animalia, ſed extra vel foris ſunt canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & Idolis ſeruiẽtes, & omnis qui amat & facit mendacium: qui ſunt iſti? ſine dubio gentiles licet miracula facientes: faciunt autẽ quicquid efficiũt, faſtu & aſtu impurorum ſpirituum. Talia ſunt quæ Auguſtinus refert de *Magia* gentilium, vel deteſtabiliori nomine *Goetia* appellata, vel honorabiliore *Theurgia* dicta, & paulo poſt infert de effigie Deorũ penatum, quos de Troia Æneas aduexit, qui de loco in locum migrâſſe feruntur, & de Epidaurio ſerpẽte comite Æſculapij Romam nauigantis, & de ſimulachro matris Phrygiæ, quã Claudia cingulo admoto in delubrum deduxerat, & de veſtali virgine aquam cribro ex Tiberi hauriente, & deniq; de cote nouacula præciſa: cum enim ad ſe rex priſcus Attium Næuium accerſeret, vt tentaret ſcientiam, Auguratus dixit ei ſe cogitare quiddam, id poſſitne fieri conſuluit; ille augurio acto fieri poſſe reſpondit: Tarquinius autẽ dixit ſe cogitaſſe cotem nouacula poſſe præcidi; tum Attium iuſſiſſe experiri, itaq; cotem in comitium illatam inſpectante & rege & populo, nouacula eſſe diſciſſam, non eſt dubium Diaboli arte interueniẽte iſtud mirabile facinus eſſe præſtitũ: nam quod de alijs Ethnicorum miraculis literis proditum eſt, faciliùs præſtabãtur omnia, & celeriùs Satanæ artificio. Narrat non contemnendus Author Suetonius Imperatorem Veſpaſianum Alexandriæ cæco lumen, claudo greſſum aliquã-

Apoc. 22. ℣. 15.

Apoc. 21. ℣. 27.

Aug. de ciu. Dei c. 9. & c. 16.

Lib. 1. diuinit.

Sabel. lib. 3. Ænead 7.

do reddidisse, sed alter maiore fide dignus Cornelius Tacitus, nec cæcum verè, nec verè claudum â Vespasiano fuisse curatum, nam *interrogati medici an morbi duorum illorum essent curabiles? responderunt esse curabiles: medici variè disserere huic non exesam vim luminis, & redituram si pellantur obstantia illi elapsos in prauum artus, si salubris vis adhibeatur, posse integrari*: igitur minimè mirandum est morbos cæteroqui curabiles natura sua, diabolica opera fuisse curatos. Sapienter Diuus Tertullianus *totum illum morbum fuisse â Diabolo, qui insidens in oculo vnius, & alterius tibia impediebat, vsum eorum membrorum, idq; eum in finem, vt videretur sanare cum desineret nocere.* Mirus artifex est Satan, & mirabilium præstigiarum opifex, & præstigiatorum omnium magister summus. Idem affirmari potest de Antichristi miraculis emētitijs, & fictis & mendacibus, quod de magorum præstigijs dudum diximus fallacibus, quæ non reputanda absolutè pro mirabilibus effectionibus, sed eminentia quadam tenus, etiamsi ignem faciāt de cœlo descendere, & imaginem bestiæ loqui efficiant. Magi & Antichristi ad eundem modū operantur, sed nō ipsorum modo & ratione Christiani: *aliter magi faciunt miracula, aliter boni Christiani, aliter mali, magi per proprios contractus cum dæmonibus, boni Christiani per publicam iustitiam, mali Christiani per signa publicæ iustitiæ:* Ac quasi totam quæstionem bene subducta ratione concludens Augustinus ait disertiùs: *signa & prodigia & sanitates etiam peccatores in nomine Domini facere, ab ipso*

Tacitus lib. 4. histor.

Apolog. c. 22.

Apoc. 13.

Aug. lib. 83. quæst.

De eccles. dog. 84.

ipſo Deo didicimus, & cum alios hac præſumptione iuuent, ſibi per ambitionem humanæ gloriæ nocent: mali homines operantur miracula in ſanctitate eccleſiæ, non in ſanctitate perſonæ, ad cõfirmandam & probãdam fidem eccleſiæ: quod conſimiliter affirmandum eſt de tota natione malorum chriſtianorum, vel de ijs qui malis peiores ſunt hæreticorum miraculoſis operationibus, ſi quæ interdum contingat facere miracula non in teſtimonium hæreticæ prauitatis, ſed catholicæ veritatis cedere, ſi qua ſcintillula oboriretur illis, in hæreſium barathro demerſis. Extra enim catholicam eccleſiam nulli dari poſſe miraculum apud omnes axioma verum eſſe debet. Hoc autem liquet ex Socratis narratione de Iudæo quodam ſæpiùs baptizato: *Iudæus quidam veterator Chriſtianam fidem ſimulans ſæpiùs baptiſatus fuit, per quam fallaciam multas corraſit pecunias, poſtquam enim multos ex varijs ſectis homines (Arrianorum enim & Macedoniorum baptiſmum receperat) dolo ludificatus non habebat ampliùs quibus imponeret, tandem ad Paulũ Nouatianum epiſcopum venit, ait ſe magna cupiditate baptiſmi recipiendi flagrare, per cuius manum vt illud aſſequatur orat, Paulus eius probat inſtitutum, verum ſe non prius illi baptiſmum daturum ait, quam ſit fidei articulis inſtitutus, dieſq; complures ieiunijs vacauerit: Iudæus contra voluntatem ieiunare coactus, acriter inſtare, vti baptiſmo donetur, Paulus quoniam illum tam obnixe baptiſmum petentem mora nolebat offendere, parat res ad baptiſmum neceſſarias; cumque veſtem candidam pro illo emiſſet, & alueum baptiſterij* Soc. l. 7. c. 17.

aqua impleri iussisset, Iudæum eò deduxit vt illi baptismum impertiret: verum aqua vniuersa diuina quadam virtute quæ oculis cerni præcipuè non poterat, subitò exhausta est; At cum neque Episcopus, neque alij qui aderant accuratè considerarent, qua ratione id accidisset, sed aquam per foramen quod in imo alueo fuit, per quod etiam alias aquam solebat educere effluxisse, existimarent alueum baptismi de integro foraminibus vndique in eo firmè obturatis diligentia implent. At cum Iudæus esset secundo in alueum baptisterij deductus, aqua rursus penitùs euanuit: Itaque Paulus (ô homo) inquit, aut veteratoris partes agis, aut baptismum ignorans recepisti: Quare vbi ob miraculum à multis eo concursum erat, forte quidam Iudæum de facie nouit, eumque ab Attico episcopo Constantinopolitano baptisatum viderat: hoc miraculũ per Paulum Nouatianum episcopum editũ fuit, inquit Socrates; sed enim haud erit rationi dissentaneum denegare hoc miraculũ episcopo Nouatiano, & attribuere idem diuinæ virtuti in baptismi sacramento: extra enim nauim ecclesiæ catholicæ nulli verũ datur miraculum. Nouatiano autem (tametsi verum baptismum esset collaturus, quippe qui assertores verissimi essent sanctissimæ trinitatis) aqua diffluxit, quoniam in prioris iniuriam secundum baptismum ignorãter apparasset; Adeoq; omne genus miraculorũ per hæreticos incæptum ad cõfirmationem potiùs catholicæ veritatis cedere videtur, quã ad eorũ opera illustranda. Idẽ est censendũ de alijs quibuscunq;

malis

malis operarijs, ſi quid in hoc genere moliuntur. Non ab re fuerit iudicium S. Hieronimi attende- *Hieron. in*
re, *Prophetare, & virtutes facere; & dæmonia eijce-* *Mat. 7.*
re, (inquit) interdum non eſt eius meriti qui operatur, ſed vel inuocatione nominis Chriſti hoc agit, vel ob condemnationem eorum qui inuocant, & vtilitatem eorum qui audiunt & vident, & conceditur, vt licet homines deſpiciant ſigna facientes, tamen Deum honorent, ad cuius inuocationem fiunt tanta miracula; nam & Saul, & Balaam, & Caiphas prophetauerunt, neſcientes quid dicerent, & Pharao & Nabuchadnezzar ſomnijs futura cognouerunt, & filij Scæuæ videbantur dæmonia eijcere, ſed & Iudas Apoſtolus cum animo proditoris multa ſigna inter cæteros Apoſtolos feciſſe narratur. Sed abeamus longé á præſtigijs dæmonum, & a mendacijs hominum, & fallacijs, impoſturiſqué omnium ætatum ad opifices verorum miraculorum, vt penes quos ſit facultas iſta virtutum edendarum, & ſanitatum præſtandarum, innoteſcat tandem aliquando; penes ne ſanctos viros omnes an aliquos remaneat; quia dixerat iam olim Auguſtinus, *ſignis & prodigijs* *De Eccleſ. dog.*
clarum poſſe fieri Chriſtianum, non tamen ſanctum, ſi *c. 48*
intemperatis & aſperis moribus agat, temperatis autem & placidis moribus etiam abſque ſignorum efficacia & ſanctum & Dei hominem fieri rectè credimus. Et Gregorius; *corporalia miracula oſtendunt aliquando ſanctitatem non faciunt: Hæc vero ſpiritualia* *Gregor. in Euangel. hom. 2.*
quæ aguntur in mente, virtutem vitæ non oſtendunt ſed faciunt. Sed enim haud omnium ſanctorum

hoc proprium est, & rationem perpulchram reddit S. Augustinus: *ideo non omnibus sanctis ista miracula attribuuntur, nec perniciosissimo errore decipiantur infirmi, estimantes in talibus factis esse maiora bona quam in operibus iustitiæ quibus vita æterna comparatur. Quare cum tibi suggerit inimicus, qualis homo? qualis Christianus? modo vel vnum miraculum feciſti? aut orationibus tuis mortui surrexerunt? aut febricitantes sanasti? si vere esses alicuius momenti faceres aliquod miraculum: respondе* (inquit) *& dic scriptum est non tentabis Dominum Deum tuum: Non ergo tentabo Dominum Deum, quasi tunc pertineam ad Deum, si fecero miraculum, & non pertineam si non fecero:* & pergit interrogãdo alio in loco hoc ipsũ tractans negotij, *qui erunt salui apud Deũ, qui faciebant miracula, an qui non faciebant? Petrus Apostolus resuscitauit mortuum, Simon Magus fecit multa: Erant ibi multi Christiani qui non poterant facere, nec quod faciebat Petrus, nec quod faciebat Simon: Sed vnde gaudebant, quia nomina eorum erant scripta in cœlo: In miraculis aliquando curiositas est, hoc est desiderium oculorum, concupiscentia siue desiderium oculorum non est a Patre.* Regula autem siue norma mirandarum actionum hæc est: *Si Deus dedit potestatem faciendi, fac, obtulit enim vt facias: non enim qui non fecerunt, ad regnum Dei non pertinebunt*, operationes magnarum rerum non dantur vnicuique volenti eas, sed distribuuntur a Deo prout ipse voluerit: ferè autem tribuitur miraculorum gloria sanctioribus hominibus

Augusſt. lib. quæſt. 83.

In epiſt. Ioan. tract. 11.

In Euang. Ioan. tract. 13

Luc. 10.

In Epiſt. Ioan. tract. 11

hominibus quibuſq; & vitæ purioris ſectatoribus, quorum in primæuis eccleſiæ temporibus erat multitudo maxima, in ſubſequentibus quidem numerus non exiguus, in poſterioribus ſæculis non paucitas tanta, quantam quis primo intuitu exemplorum exiſtimauerit in hiſce vltimis raritas quædam, ſed tamen claritas admiranda mirabilium effectionum, & vnius generis apud nos ſumma celebritas.

An Reges Angliæ ſingulari aliquo dono claruerunt, & an Elizabetha ſereniſſima Angliæ Regina omnes exteros Principes hac gloria ſuperauerit?

Cap. 6.

DOcuimus ſuperius multa præclara dona hominibus eſſe collata, quædam extra ordinem, nonnulla ordinaria ratione eſſe commodata, omnia tamen ad vtilitatem eccleſiæ tributa eſſe a præpotente Numine, penes etiam quos qualeſue eſſet facultas vtendi talibus donis eiſdemq; muneribus perfungendi demonſtrauimus, ex conſenſione denique quamplurimorum hiſtoricorum, quæ lex veritatis prope putanda eſt, deprompſimus exempla eorum qui paſſim iſta mirabilium operationum gloria nobilitati eſſent: quia vero eccleſia Chriſti aggregauit ſibi ex omni genere, ſexu ac ordine aliquos, ſiue ſummos, ſiue medios, in ſuoq; ſinu fouit tam plebeios quam principes, (*fratres*) *videtis vocationem veſtram, quia nõ multi ſapientes,* 1 Cor. 1.

non multi nobiles secundum carnẽ, non multi potentes, etiam regibus vtpote ecclesiæ filijs, & reginis vt filiabus quædam dona sua Deus dispertitus est: prædictum est iam olim ab Isaia etiam aliquos reges in illa multitudine gentium fidem Christi amplexaturos, & ambabus quasi vlnis religionem Christianam colituros fore: *Nam suges lac gentium, & mammas regum suges, vt experiaris me Iehouam esse seruatorem tuum & vindicem tuum, quod quia signo confirmat*, perinde ac verbo oppignneratus erat Dominus, dicet *ecce sustollam ad gentes manum meam, & ad populos efferam vexillum meum vt afferant filios tuos lacerto, ac filiæ tuæ super humerum portentur, & erunt reges nutritij tui, & reginæ eorum nutrices, vultu in terram demisso incuruabunt se tibi, puluerem pedum tuorum lingent*, id est honorem exhibebunt Christo in te habitanti velut capiti tuo, & te in Christo honorabunt. Ex quauis gente videlicet aliquos liberos & alumnos comparare sibi velle ait Dominus, daturumque se vexillum euangelij quod potentia Dei est omni credenti ad salutem, vt filij orbitatis vel Gentiles loco Iudæorum agnascantur sibi, inter hos filios, filiasq; innumeras ecclesiæ, reges & reginas esse annumerandas varijsq; donis ornandas esse non est diffitendum: Ac ne quis prophetiam intelligeret potiùs de regibus terræ continentis, promissionem euangelij ad Insulas & Insulares reges extendit propheta, *auscultate* (inquit) *Insulæ mihi, & attendite nationes e longinquo* id est quam-

Esa. 6. Ver. 16.

Esa. 49. v. 22

uis

uis longe abſitæ vſq; ad extremas terras, acſi nos voce compellaret,

Toto diuiſos orbe Britannos.

Nam me Inſulæ expectabunt, & claſſes Oceani imprimis vt adducantur filij e longinquo argentum ſuum, & aurum ſecum ad nomen Iehouæ Dei tui, & ad ſanctum Iſraelis quando ornabit te. Nihil apertius eſt quam eccleſiam ſuam fore apertã omnibus, maximiſque ornamentis decorandam. Exiſtimandum eſt itaque in tanto decore totius eccleſiæ aliquem ornatum acceſſurum partibus: præcipua autem quædam pars ac præſtantiſſima eſt cæterarum partium, quicunque rex regnique caput eſt. Quare quod accidit in tota corporis figura, vt licet eximia quædam ſit præſtantia manuũ, ac pedum, lacertorumq; aliorumque lineamentorum pulchritudo excellat, niſi oris dignitas, facieique venuſtas, oculorumq; obtutus elegantior accedat, id eſt capitis etiam conformatio reliquis corporis partibus reſpondeat, turpitudo vnius ac deformitas alijſq; partibus labẽ aſpergere videatur: Idem vſu venit in republica Chriſtiana, vt ſi reliqui ciues ſint hac vel illa dote cohoneſtati, & decorati virtute, vel gratia, etiam totius ciuitatis principem vel ijſdem, vel maioribus Dei donis, et gratijs prælucere oporteat, ne turpe ſit vt qui cæteris dignitate anteeat, ipſe ab alijs virtutum claritate ſuperetur. Hæc in eum finem dicuntur, vt omnes intelligant ex illo cumulo cœleſtium gratiarum, clementiſſimum ac ditiſſimum miſeri-

cordiarum Deum nostrum concessisse non modo vsuram, sed etiam copiam & abundantiam donorum suorum principibus viris, ac primarijs fœminis, potentissimis regibus, reginisq; quorum persona sacrosancta est. Dedit Deus mansuetudinẽ Mosi, fortitudinem ac inuictum robur Iosuæ dedit, Deboræ spiritum Heroicum dedit: magnitudinem animi Sauli pro tempore, dedit cor secundum cor suum Dauidi, iudicium dedit filio regis Solomoni, summis sacerdotibus dedit quædam dona, aliaque alijs munera diuina, vel indigentibus vel petentibus distribuit, dedit Constãtino illam gratiam, vt clarissima quasi buccina primus Imperatorum omnium euangelium promulgari, ac sæculari quasi brachio confirmari iuberet, dedit Theodosio maiori ac minori, vt religionem iam tum hæresium varijs procellis ac turbinibus conquassatam, politicarum legum vinculo tanquam sæpimento obuallarent, dedit christianis principibus peculiaria dona, quibus eorum fides commendatior ac glorioſior in omnem posteritatem existeret: Sed vnusquisq; habet proprium donum, alius plura, alius pauciora dona accepit, quædam vero communia, vel sibi inuicem communicata, si verum sit quod de Regibus Francorum vulgo dicitur, etiam Reges Franciæ curare strumam, perinde ac Reges Anglię: Guido enim in Chirurgia magna sic tradit memoriæ inter cætera, *Plures alias* (inquit) *potiones & electuaria &c. & empirica maiores nostri posuerunt*

Guido tract. 2. doctr. 5 cap. 3

posuerunt, quæ in operibus meis non recepi, concedo tamen quod virtute diuina serenissimus Rex Franciæ solo manus attactu sanat strumosos: Hæc Guido qui vixit Auinione circiter annum Domini millesimum, trecentesimum, quadragesimum octauum, sub Pontificatu & Clientela Clementis Sexti, (sicut ipse de seipso testatur tract. 2. doctr. 2. cap. 5. de apostemate pectoris.) Sed historia nostra Anglicana rem narrat illius memoria, & Francorum annalium fide antiquiorem, cui ipsi Franci & Itali, alijque suffragantur: Iohannes Tagautius scribens de hoc ipso. *Multa* (ait) *alia auxilia ad huiusmodi affectus instituuntur, nempe potiones & olea &c, quæ in aures injciuntur; empirica quoque permulta a veteribus descripta, & celebrata sunt, quorum vsus mihi non probatur. Hoc vnum tamen confidenter affirmo, Christianissimo Francorum Regi diuinitus peculiari dono esse indultum, vt quamplurimos strumosos, seu (vt vocant) scrophularios solo manuum attactu, integræ sanitati restituat. Rex etiam Eduardus (vt referunt historiæ) tactu solo, ac quibusdam hymnis non sine cerevnonijs prius recitatis strumosos sanare consueuit.* Hæc Tagautius homo Francus, quæ totidem syllabis homo Italus, Polydorus Vrbinas veterum bibliothecarum in Anglia non solum explorator, sed etiam expilator habet, vt iam vterque eorum nostris regibus Angliæ testimonium perhibeant, & quasi veritatis pignus reddant integrum: quanto autem tempore vetustior fuerit Christi fi-

1348.

Institut. Chirurg. lib. 1.

des suscepta in Britannia nostra quam in Gallijs, tanto verisimilius est eius præclari doni originem & vsucapionem antecessisse: nam Britannos ad fidem conuersos fuisse, constat ex antiquissimo Gilda tempore Iosephi Aremathiæ, saltemue temporibus Lucij regis, & Eleutherij Pontificis, cui attestatur Tertullianus *Britannorum inaccessa Romanis loca Christo subdita esse.* Primum autem Francorum Christianum regem extitisse Clodoueum totos tercentum ampliusque post annos liquet ex historicis fide dignis. Probabile quoq; est reges nostros, in illis primis ecclesiæ incunabilis multa a Deo insignia charismata accepisse, & exercuisse in ditionibus suis, & vetus dictum est regnũ Angliæ regnũ Dei esse: Franciæ autem reges (quorũ fere totæ prouinciæ iurisdictioni nostrorum regum subiungebantur) aliquã quasi propaginem vsumq; a nostris regibus huius muneris traduxêre, si idem maxime & verissimè vnum ac idem sit solenne munus, quo ipsorum reges gloriantur in curatione strumæ. Venio ad reges Angliæ, quos absq; omni controuersia certum est isto sanationis genere excellere. Narrat Polydorus multas & admirandas virtutes Regis Eduardi, Deo longe chariſſimi, qui ad initiũ anni millesimi sexagesimi sexti fere regnum perduxit. *Solebat (inquit) Eduardus rex diuinitus solo tactu sanare strumosos, hoc est strumam patientes. Est enim struma morbus (Scrophulam vulgo vocant) a Scrophis quæ ea mala scabie afflictantur, id est humor in quo subtus concretæ*

Tertull. lib. aduersus Iudæos.

Polidor lib. 8 hist. Angl. 1.

1066.

concretæ quædam pure & ſanguine quaſi glandulæ oriuntur, ſic vt plurimùm per pectus & guttur ſerpit, quod quidem immortale munus iure quaſi hæreditario ad poſteriores reges manauit, nam reges Angliæ etiam nunc tactu ac quibuſdam hymnis non ſine ceremonijs prius recitatis ſtrumoſos ſanant: Ergo omnes reges Angliæ hoc imbuuntur munere ſanationis, & quia vicinior ille hiſtoricus vixerat, temporibus Patris Auique Sereniſſimæ ELIZABETHÆ REGINÆ nunc regnantis, Henrici ſcilicet ſeptimi, ac eius nominis octaui, diſertè refert reges etiam nunc idem curationis genus factitare: omnes igitur reges Angliæ in medela ſtrumæ optimè operam dant, ac fœliciter præſtant. Neque tam ingenita vi aliqua â maioribus ſuis cum natura ſeminum, & ſimilitudine corporum, ac imitatione morum propagata adnituntur id negotij, quam ſingulari munere diuino quod inauguratis contingit potiùs, ſubfulti operantur ſanitatem. Diuturnitatem proinde huius chariſmatis ad ſexcentos hos poſteriores annos quotuſquiſque non videt, & permanſionem apud reges Angliæ? adeo vt ſi priores tempore potiores iure poſſeſſionis dicendi ſunt, noſtrates ſint antiquiſſimi & veriſſimi poſſeſſores eius gratiæ ſanitatum, quam immediatè (vt vulgus loquitur in ſcholis) ab ipſo Deo acceperunt, & â primo chriſtianitatis tempore veriſimiliter acceptam exercuerunt in media eccleſia ad temporis longitudinem. De exercitio huius doni Eilredus Rhiual-

Eilredus Rhiuallensis in vita Edwardi Confess. Ex manuscript. lib. celebris Antiquarij Cambdeni Westmonast.

lensis Abbas in vita Eduardi Confessoris mem init diligẽter. Exhinc crebrescunt miracula, signa multiplicãtur, & ad regis merita sublimiùs declaranda, manus omnipotentis extenditur. Adolescentula quædam tradita nuptijs; duplici laborabat incommodo. Nam faciem eius morbus deformauerat, sterilitas spem prolis ademerat. Sub faucibus quippe quasi glandes ei succreuerant, quæ totam faciem deformi tumore fædantes: putrefactis sub cute humoribus, sanguinem in saniem verterant. Inde nati vermes, odorem teterrimum exhalabant. Ita viro incutiebat morbus horrorem, sterilitas minuebat affectum. Viuebat infœlix mulier odiosa marito, parentibus onerosa, rarus ad eam vel amicorum accessus propter fætorem vel aspectus viri propter horrorem. Hinc dolor hinc lachrymæ hinc die noctuque suspiria, cum ei vel sterilitas opprobrium, vel contemptum infirmitas generaret. Industriam medicorum auertebat inopia. Quid ageret misera? Quod solum spei supererat, vbi humanum deerat, diuinum precabatur auxilium: quasi in illam illius eque miserè mulieris vocem erumpens. Peto domine vt de vinculo improperij huius absoluas me, aut certè desuper terram eripias me. Iubetur tandem in somnis adire palatium, ex regijs manibus sperare remedium: quibus si lota, si tacta, si signata foret, reciperet eius meritis sanitatem: expergefacta mulier, sexus simul & conditionis oblita prorupit in curiam regis se præsentat obtutibus, exponit oraculum, auxilium deprecatur:

precatur: Ille more ſuo victus pietate, nec ſordes cauit, nec fætorem exhorruit, allata denique aqua partes corporis quas morbus fædabat, proprijs manibus lauit locaq; tumentia contrectans digitis, ſignum ſanctæ crucis impreſſit. Quid plura? Subito rupta cute, cum ſanie vermes ebulliunt, reſedit tumor, dolor omnis abceſſit admirantibus qui aderant tantam ſub purpura ſanctitatem, tantam ſceptigeris manibus ineſſe virtutem. Paucis vero diebus ſubſtitit in curia mulier regijs miniſtris neceſſaria miniſtrantibus, donec obducta vulneribus cicatrice incolumis rediret ad propria, verum vt nihil regi deeſſet ad gloriam, pauperculæ nihil ad gratiam. Donata ſterili inopinata fæcunditas, ventriſq; ſui deſiderato fructu dicata facile ſibi mariti conciliauit affectum: Hæc Eilredus qui cognoſcere potuit veritatem facti, & ferè attigit illam ætatem. Sed priſcorũ regum Angliæ recordatione prætermiſſa qui aliquando hac gloria floruerunt, multis retrò actis ſæculis & citerioribus hiſce annis; ſit longè latèque diffuſa laus Eduardi regis, ſanauerit quamplurimos ille ſtrumoſos charitatis ac fidei feruore, incredibili pietatis, eleemoſynæ fructu ac dulcedine oblectatus fuerit, nõ minore ſanauerint, & alij reges complures ciues ſuos; quæ poteſt par inueniri ratio virtutibus ELIZABETHÆ ſanctiſſimæ Britannorũ reginæ, Inſularũ ac Oceani ſummę moderatricis, ſalutis ſuorũ ciuiũ parẽtis, ac nutricis eccleſiæ amantiſſimæ? quę tanto fratri ſororiq;, patriq;

auoq;

auioq; clarissimo maioribusq; suis regibus potentissimis istius virtutis gloria præluxit, quanto ipse rex Eduardus omnibus exteris principibus quacunque huius generis gratia præfulgẽtibus antecelluit. Quæ quidem vt nata est ad omne decus & laudem salutis impertiendæ ciuibus suis, sic in hoc genere curationis eius ingens gloria est: quæ tanquam altera *Placilla Augusta repentè vt venit ad purpuram claudorum ac debilium maximam habuit curam*, vel vt altera *Monegundis* regina, si Gregorio Turonensi credimus, multos *energumenos & ægrotos curauit:* sic eius Maiestas simul ac regni habenas moderandi sumpsit, & diademate regio insignita processit, quod iure hæreditario sibi inuictissimi regis Henrici octaui filiæ debebatur, quamplurimos strumam patientes opere & virtute adiuuit. Habet fortuna regia maiora quædam & augustiora, si regni eius statum, & reipublicæ, reique ecclesiasticæ fœlicitatem spectauerimus, quid est enim admirabilius quàm vt vna primaria omnium mortalium fœmina lectissima, & Deo, suisque subditis dilectissima, tot viros tantarum rerum gestarum gloria abundantes, Britanna Britannos, legibus & sanctioribus institutis, & regat & dirigat? quid est ad famam glorioſius quam quod totos triginta octo ampliusque annos, ipsa in pace & bello terra marique inermis armatos regat, nec solùm suos sed exteros inuitis dentibus, inuitis ensibus, inuitis ignibus inimicorum protegat, incolumesque conseruet.

Tripartit. hist. l. 9. ca. 31.

Greg. Tur. in Vit. patrum. ca. 19.

uet. Verum hoc religioſum opus non tam Maieſtatis quam diuinitatis opus eſt, & magnum profectò diuinæ Maieſtatis donum eſt, quantumcunque eſt,& vbicunque repertum eſt,regia progenie dignum eſt, & vnctionis eſt regiæ. Palam igitur ſe declarat, & regio ſtemmate antiquo oriundam, patre auoque atauiſque nobiliſſimis regibus prognatam, legitimèque riteque vnctam Domini,quæ eandem & ſanandi gratiam, & regnandi gloriam ipſo vnctionis & inaugurationis momento adepta eſt, quippe quæ ijſdem ac paribus iuribus & priuilegijs perſonæ regiæ ritè conſecratæ gaudeat. Quod ego ſæpe ſoleo ante oculos ponere, idque libenter crebris vſurpare ſermonibus magnam virtutis & fælicitatis præſtantiam ELIZABETHÆ religioſiſſimæ dominæ ac principis noſtræ, quæ nullo non loco incurrit in oculos, incurrit in aures noſtras. Quo magis demiror ſtultitiam dicam an inſaniam hominum, qui Chriſtiani nomine & catholici cognomine, & dici & haberi volunt, & tamen Chriſtianæ & catholicæ principi, qualis ELIZABETHA eſt, & ignominiam inurere,& intorquere calumniam volunt; ipſam Angliæ reginam vocant, & anathematis vinculo ligant, quare & *prætenſo iure, nec non omni & quocunque dominio, dignitate priuilegioq; priuant.* At quis eſt tam hebes, ac plumbeus, tam væſanus, qui non animaduertit, planè brutum fulmen excommunicationis intorqueri, contra eius maieſtatem ſemper magis magiſque ſacro-

Ex bulla Pij 5.

sanctam, neque ipsam vel regni iure, vel regiæ personæ priuilegio exutam iri vnquam, quippe cuius sceptrum florentius, & persona honoratior, & omni gratiarum genere excultior perstiterit: non est tanta potestas in stultorum suffragijs, aut pontificum censuris, vt quod animis optauerint votisuè, id aliquando perfectum & comprobatum euentis experiantur. Melius illi pontificiarum partium assectæ senserunt, quibuscum disputatio mihi olim intercesserat de iniustis Clementis septimi, & Pauli tertij excommunicationis sententijs contra Henricum octauum inclytæ memoriæ regem, & Pij quinti aduersus clarissimam ELIZABETHAM Angliæ reginam latis, ac deinceps ostenderam ipsorum pontificum impia anathemata nullam habuisse vim efficacitatemue in ipsos reges nostros, qui communionem non colerent cum Romana ecclesia, sed cum Christi catholica ecclesia vbique diffusa, vbique pacem seruarent, denique talium assertionum vanitatem reuiceram, propterea quod reges Angliæ, ac potissimum sereniſſima eius Maiestas non abhorrerent â puritate fidei ac religionis christianæ, sed potiùs ab Antichristiana perfidia desciuerant; postremò Maiestatem illius plurimi facere ecclesiam, scripturas, sacramẽta, ceremonias, miracula vera, adeoque multos ægrotos, ac morbo strumæ correptos frequentissimè sanari, ac curari impositione manuũ, ac orationis deuotione, inuocato nomine Iesu Christi,

cum

cum ſolennitate rituum eccleſiæ noſtræ; reſponderunt ad hæc, *ſi Maieſtas eius verè ac ſolidè ſanitatem impertiret, ſine dubio eſſe legitimam principem, veraciterque inauguratam, nec obeſſe ſibi pontificiam cenſuram, nec regno excidere poſſe, quoniam Deus miraculoſarum curationum conſuetudine regum Angliæ in eius manu confirmaret, ſed valdè addubitare ſeſe numnam ipſa talia faceret, quæ in vulgus ſpargerentur, miracula.* Ego quia optimè conſcius eram illiuſmodi laudabilium ſanitatis operationum, ac aliquot annorum ſpatio interfueram religioſis actionibus publicis, cum multi miſeri mortales eſſent priſtinæ valetudinis integritati reſtituti, ſpoſpondi ac obligaui fidem meam me multos producere potuiſſe, qui ſanitatem conſequuti eſſent, ac illi non multum diffiterentur ſanitatum gratiam interijſſe, hoc in tempore quamuis vehementer admirati eſſent, quaſi animis conſternati ſubitò conticuerunt. Quicquid opinionis hominum eſt de religione quam profitemur in Anglia, de pietate, eleemoſyna, virtutibuſque præcellentibus ELIZABETHÆ REGINÆ non moror, hoc vnum à teſte fide dignum inaudiueram, ſibi aliquando obuiam factum, cum Londino rus verſus diſcederet, hominem quendam moribus quidem non incultum, fidei tamen Romanenſium adhæreſcentem, qui cum multis vltro citroq; verbis habitis, rogatus quid eſſet rerum nouarum, *aiebat ſe nuper emiſſum carcere, ac*

oppressum morbo (vt vulgus ait) regio, id est strumoso, post multa rei medicæ tentata remedia, ad ELIZABETHÆ *reginæ pedes aduolutũ, integerrimè sanissimèque esse curatum, ingenueque adeò profitebatur se iam tandem aliquando experientia comperisse pontificiam excommunicationem nullius planè esse momenti denuntiatam contra Maiestatem eius. Etenim si non iure potita esset sceptro regni, ac iam diuina auctoritate, ac nutu thronus eius stabiliretur, incassum succedere quicquid auspicatura esset eius Maiestas, quia regula est,* Deus nullibi testis est mendacij; miraculum certè vbicunque est, veritatis, prouidentiæ, bonitatis, clementiæ, omnipotentiæ sigillum est.

De modo & forma sanandi, vel de operatione ipsa, vbi de simplicitate, castitate ceremoniarum ac rituum in sanandis strumosis, ac de pietate, eleemosyna & humilitate principis.

Cap. 7.

SEd iam tempus est opportunius, vt paucis expediam de modo & forma sanandi strumosos, vel de operatione ipsa, aliquidque dicam de simplicitate ac verecundia ceremoniarum ac rituum in curandis struma affectis, vt mihi necesse sit, de religione, pietate, sanctitate charitate

tate, eleemoſyna, ac humilitate principis differere diligentius, pro ratione inſtituti noſtri: ELIZABETHA Regina Angliæ orbis terrarum Inſulæ maximæ ac beatiſſimæ, totiuſque occidentis lumen ſplendidiſſimum ac ſeptentrionis ſydus clariſſimum. Ipſa eſt, ipſa (inquam) eſt quæ huic morbo, quem dudum meminimus, medelam adhibet, adhibet autem miris, ſed veris modis, quandocunq; & quoties vult, toties autem vult, quoties diuinitatis auxilio conſilioq; ad medendum impellitur, impellitur autem precibus aſſiduis ſuorum, qui renuntiant eſſe numerum ſatis amplum, paucitatemue eorum qui morbo regio (vt vocant) afflictantur. Iſti autem tenuoires fere ſunt, interdum locupletiores aliqui, qui fores curiæ obſident, nec prius diſcedunt quam ſpem opemue adipiſcuntur: MAIESTAS eius clementiæ ac miſericordiæ Chriſtianæ memor neminem abigit, licet fædiorem ac turpiorem aſpectu morbi: Proſopolepſia ſiue acceptio perſonarum nulla eſt: vnicuique fit poteſtas adeundi principem pro ſalute ſua, ſiue iuueni, ſiue ſeni, ſiue pauperi, ſiue ditiori, in nullum curioſiùs inquiritur, tantum requiritur, vt ſtrumoſus ſit, eaque opera regijs medicis ac Chirurgis demandatur, vt nemo ſe ingerat importunius, ſed talis tantummodo qui habetur pro deplorato & deſperato â medicis, aut tanta premitur egeſtate, vt ad gratiam principis tanquam aſylum extremum recurrat, ab omnibus medicis mundi deſtitutus, Scrophularij iſti

nomina dant Chirurgis regijs, nomina sic data commendantur regiæ Maiestati, eius MAIESTAS tempus operationi futuræ destinat, locumque orationis publicum designat, ipsi morbidi coram eius Maiestate sistuntur, Chirurgi tamen data opera cauent ex inspectione oris & corporis, vt vera sit struma; ne qua impostura fallacium oriatur, deinde si obscænitatis quippiam appareat, ex eruptione purulenta in pectus & guttur iterum cauent, vt emplastro aliquo obtegatur ad turpitudinem vitandam congruentiore, ad morbum profligandum nulla ratione conueniente, totius enim morbi medela est penes MAIESTATEM Regiam, medicorum ac chirurgorum opera nulla est, ac ne requiritur quidem. Certus autem dies non vt sacrificij sic & auxilij huius expectari solet, operiuntur illi sanandi potiùs diem, cum princeps vel sabbato sanet, vel extra sabbatum quacunque feria, fere in sabbato nostro, id est, die dominica, & interdum in festo, ac solennitate memoriæ Christi, Apostolorumue sanitates operatur, non sine ductu diuini numinis, non sine fœlicitate regij nominis. Vnum hoc reticeri non debet, tempore quidem præcationum communium ac in Liturgiæ recitatione semper transigi hoc curationis negotium. Publicæ igitur concipiuntur preces a ministris regiæ maiestatis Capellanis, MAIESTATE eius ad illas preces regio cum apparatu procedente, comitantibus nobilibus,

bus, ſtipantibus cateruis, inſpectantibus hominibus & Angelis: ordinarijs precibus cum Epiſtolæ & Euangelij lectione peractis, ſiſtuntur omnes a Chirurgis regijs in præſentia Reginæ, ad cuius genua aduoluti fide & oratione feruentes opem & auxilium præſtolantur: Tum exordiuntur Euangelij lectionem ex illo vltimo capite Sancti Marci verſu 14. *Nouiſſime autem recumbentibus illis vndecim apparuit & exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiem cordis, quia ijs qui viderant eum, reſurrexiſſe non crediderunt, & dixit eis euntes in vniuerſum mundum prædicate euangelium omni creaturæ, qui crediderit & baptizatus fuerit ſaluus erit, qui non crediderit condemnabitur, ſigna autem eos qui crediderint hæc ſequentur, in nomine meo dæmonia ejcient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit, ſupra ægros manus imponent & bene habebunt:* Ad illa verba cum ventum eſt, ſereniſſima eius MAIESTAS ægris, & ſtrumam patientibus vtrinque manus imponit, ſiue maxillis, ſiue gutturi, ſiue loco affecto, & nudis manibus tangit morbidas partes, quas deinceps ſanat: quibus partibus ſacratiſſimis eius manibus tactis illi ſtrumoſi paulum recedunt, tantiſper dum aliæ ceremoniæ complendæ ſunt: & tum quod reliquum eſt Euangelij legitur: *Et Dominus Ieſus poſtquam loquutus eſt eis, aſſumptus eſt in cælum, & ſedit a dextris Dei, illi autem profecti prædicauerunt, vbiq; Domino cooperante, & ſermonem confirmante*

confirmante, sequentibus signis: Isto autem Euangelio recensito, recitatur alterum Ioannis primo, *In prineipio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est. In ipso erat vita, & vita erat lux hominum; & lux in tenebris lucet; & tenebræ eam non comprehenderunt: fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Iohannes, hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum, non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine: Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ad quæ verba assurgit MAIESTAS regia, & singulis rursum aduocatis & reductis, acceptoquè aureo numo solidorum decem, perforato, ~~actæna~~ reuincto numismate, crucis signũ, qua parte morbus est facit, itaque singulis fausta ac fœlicia precando ac benedicendo, iussisq; vt aliquantulum secedant, reliqua pars scripturæ paulò prius recitatæ absoluitur, *in mundo erat, & mundus eum non cognouit, in propria venit, & sui eum non receperunt, quotquot autem receperunt eum, dedit illis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius qui non sunt ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt: Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti a patre, plenum gratiæ & veritatis*: quibus finitis MAIESTAS regia cum toto cætu ecclesiæ humiliter

catæna

humiliter inclinata in genua, ſic orat, *Kyrie eleyſon, Chriſte eleyſon, Pater noſter &c. M: Saluos Domine ſac famulos tuos: R. qui ſperant in te. M. Mitte auxilium illis de alto: R. & in omni tempore potenter eos defende. M, adiuua nos Deus ſalutaris noſter. R. & propter gloriam nominis libera nos, propitius eſto nobis peccatoribus propter nomen tuum. M. Domine exaudi preces noſtras. R. Et clamor noſter ad te veniat.* Illis communibus precibus abſolutis ſequitur ſpecialis quædam precatio, quæ in Liturgia quotidiana non inuenitur, apprimis tamen neceſſaria eſt. *Omnipotens Deus, Æterna ſalus omnium in te ſperantium exaudi nos, te precamur nomine famulorum tuorum hic præſentium, pro quibus miſericors auxilium tuum imploramus, vt ſalute accepta tibi gratias agant in ſancta eccleſia tua per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum Amen.* Qua oratione deuotè & piè dicta vſitata formula clauduntur preces; itaq; ſinguli diſcedunt, & Deo agentes gratias, et principi, et ſibi de mutua ſanitate congratulãtes. Quid eſt quæſo reprehenſione dignum, vel quid non ſumma laude dignum in tota actione iſtiuſmodi ſanationis? Liturgia tota ſancta eſt, ceremoniarum ſimplicitas, & caſtimonia laudanda eſt, perſona quæ operatur ſacroſancta eſt, ſuperſtitio nulla eſt, magia longiſſimè abeſt, cacozelia, adiuratio, Author totius actionis ſpiritus ſanctus eſt, Donum ſanandi a ſpiritu eſt, & doni vſus, & fructus ſiue effectus â ſpiritu ſancto

est: Nihil hic nisi benedictio & benefactum, precatio, impositio manuum, & salutaris contrectatio, crucisignatio, quæ ceremonia eadem est in baptismo, appensio auri, quod non est amuletum vel periaptum, sed eleemosyna sacra, & charitatis pignus, sive auctoramentum; denique nihil nisi cultus Dei, veneratio Christi, curatio & sanitas Christiani: nullæ hic præstigiæ, nulla incantamenta, nullæ imagunculæ, nulla sigilla, nulli characteres, nulla phantasmata, nihil fictum, falsumue reperitur: totum hoc miraculosæ effectionis quantumcunque est, quod est certè maximum, veri ac solidi miraculi loco numerandum est: sicut enim lotio pedum regibus Angliæ ceremonia anniuersaria est, ita curatio strumæ attactu manuũ non tam annua, quam menstrua ac pene quotidiana est. Quotusquisque autem illam sanctorum, & sanctarum, vel Christi pauperum, lotionem pedum vituperare iure merito potest? in qua tanta Maiestas, quanta in terris maior nulla est, ad humillima pedum oscula abiecerit se, id est Christianis fratribus & sororibus propter Christum subiecerit se, neque suppuduerit tale humilitatis documentum semel ac iterum, sed sæpius in hoc breui vitæ curriculo ostendere. Sed hoc opus est aduersus homines corpore & valentes, & sanos; quiddam humile tamen & valde demissum Christianitatis officium est, quia lotio

pedum

pedum, eorundemque deoſculatio beneficium certe quidem non eſt, ſi regiam liberalitatem & eleemoſynam exceperis, quæ aliud eſt, & diuerſum a ſalute corporis, quæ comparatur beneficio medendi morbo, non beneficentia erga morboſum. Quantum ego aſſequor, & hæc lotio, & illa ſanatio, altera alterius laudem mirabiliter auget, & amplificat; veruntamen voluminibus laudum mearum haud facile laudationem iſtius diuini muneris ac chariſmatis ſanandi inſtituerim, ac verarum laudum cumulo compleuerim; ô longe, lateque diffuſam laudem, ô ſingularem & diuinam dotem, ô vere Chriſtianum pectus, dignum maioribus ſuis, regibus clariſſimis & Chriſtianiſsimis, ô admirabilem humilitatis ſpiritum, dignum Apoſtolis Apoſtoliciſque viris; & primæuæ eccleſiæ Chriſtianis, & confeſſoribus, & martyribus dignum; ô ſalutiferam manum quæ in tot miſerorum mortalium opitulationem ſemper extenta, ſemper exporrecta eſt: Quoties ego vidi ſereniſſimam eius MAIESTATEM in genua procidentem, toto corpore menteq; adorantem, Deum verum inuocantem Chriſtoque Saluatori ſupplicantem pro talibus; quoties vidi illam perpulchris manibus, & dealbata niue candidioribus, audaciuſculè abſque vllo faſtidio, non ſummis digitis tangentem, ſed prementem & contrectantem

ſalubrius & apoſtemata eorum, & vlcera? quoties vidi ipſam quaſi ſeipſam defatigantem, cum vno die in paraſceue paſchatis ſuperioris triginta octo ſtrumoſos curaret? At quos qualeſue viros & fœminas? oris certe aſpectu,& corporis turpiores, & fœditate ſordidiores; quas tamen exteriores turpitudines & ſordes eius MAIESTAS æquioribus oculis aſpicere,nec aſpicere ſolum, ſed tangere,eoque tactu manuum ſuarum ſanare per eam gratiam quam ſibi Deus largitus eſt,non eſt dedignata: quos tamen aliquæ fortaſſis faſtidioſæ mulieres, ac viri ex delicatulis illis, ac molliculis, ſibi ſupplices pro ope vel ſtipe medicantes, planè & oculis aſpernarentur, & auribus reſpuerent, totiſque ſupercilijs renuerent aliquando, at hos ſordibus oppletos, ſquallentes, morbidos, & lachrimabiles ELIZABETHA princeps eo ſplendore,& magnificentia regia qua eſt, nullatenus reformidat, reſpuit, aſpernatur, ſed habet in ſummis delicijs non modo præbere alimoniam Chriſti egenis & pauperibus huius mundi; verum etiam medelam & ſalutem præſtare ſingulis expoſcentibus. Quid eſt quod in hac infinita laude anteponam? Virtutem an fœlicitatem, altitudinem fortunæ, an humilitatem Chriſtianam, religionem, pietatem, fidem, ac charitatem, miſerecordiam, clementiam, manſuetudinem inauditam? Credat hoc quiſquam ex poſteritate ſera,

olim

olim in remotiſſimis orbis ter rarum partibus nunc viuens, eſſe prima riam fœminam, regiam virginem, inſulæ maxim æ ac beatiſſimæ Imperatricem, Oceani reginam, opibus florentiſſimam, abundantiſſimam rebus geſtis, circumfluentem delicijs modo placeret, affluentẽ diuitijs, (quanquam ipſa omnium regum quot ſunt, quotque fuerunt, temperatiſſima eſſe credatur, & in ſummo dignitatis faſtigio moderatiſſima,) adeo tamen curam ac ſollicitudinem agere eorum, qui eius ope ac ſuppetijs indigerent, adeo laborioſam & exercitam eſſe in hoc genere curationum, vt impendio magis anxia ſit, indieſque magis, magiſque ſtudioſa ſit talium ſalutem procurare, vel impetrare precibus â Deo, & præſtare reipſa fœlicitate & admirabilitate tanta, & tam ſæpè, & tanta cum ſolennitate? credat, certè neceſſe eſt, qui hæc oculata fide viderit plus millies vel auditione acceperit à teſtibus fide dignioribus, et omni exceptione maioribus (quorum numerus magnus eſt) vel legiſſe ſe meminerit antiquis ſimilia diuinarum ſigna virtutum, etiam noſtris temporibus (vt loquar cum Auguſtino) frequentari in eccleſia: non enim in angulo fiunt iſtæ curationes admirandæ, ſed in celebritate hominum, in luce & oculis ciuium, omniaque benefacta in luce ſe collocari deſiderant, intra parietes curiæ, in ipſo palatio, & in loco precibus dedicato, tempore orationis peraguntur, obſtupeſcentibus nobis, ac vna cum eius Maieſtate

state preces fundentibus, & in cordibus nostris dicentibus, cùm aliquando zelum, pietatem, feruorem fidei intueremur Maiestatis regiæ terrenæ quidem, ad illam sublimem & cælestem Maiestatem tendentis manus; Domine, quas tuorum preces exaudis, si has ELIZABETHÆ non exaudis? Nihil enim mihi addi posse videtur. Exaudiri principis preces dubium non est, quum inde sanitas sequatur, & certitudinem euentuum admiratio consequatur.

De certitudine euentuum, & effectuum admirabilitate.

Cap. 8.

ETsi profecto totum hoc charisma persuasissimum fides Christiana & ratio, testatissimum experientia, & complurium rectè sentientium consensio reddit, haud tamen abs re fuerit aliquibus euentis comprobare, & exemplis domesticis quibus abundamus corroborare id ipsũ. Sunt autem eius generis infinita propemodum, si omnia velim numerando percensere, & libellorum ratio ineunda est: libellorum dandorum (inquit Augustinus) quibus notitia harum rerum gigneretur, erat suis temporibus noua consuetudo, & prætereunda non est sine ingrati animi vitio, & aduersus Deum & hominem, summis certè votis exopta-

exoptauerim, vt ſanitatum præſtitarum memoria aſſeruaretur, nomina & cognomina ſcriptis conſignarentur, & poſteritati commendarentur: nihil enim pulchrius quàm monumentis mandare præclarè facta, nihil turpius quam eiuſmodi notitias cum hominibus interire, nihil fœdius quam factorum benè, & laudabiliter gratiam perire; quid eſt pietas niſi voluntas grata in parentes? & quæ gratior eſſe debet quàm in parentem patriæ? qui ſunt boni ciues, qui de principe bene merentes, niſi qui patriæ ac principis beneficia meminerunt? qui ſancti, qui religionis colentes niſi qui meritam Deo immortali gratiam iuſtis honoribus & memori mente perſoluunt? Abs quiuis homine beneficium accipere gaudeamus, abs principe verò immortaliter lætari debeamus. Quare non eſt committendum, vt vel indigni, vel victi beneficio tam præſtanti eſſe videamur. Cuſtodiendum igitur eſt memoria noſtra quicquid ſalutis accipimus â principe: Permulti autem ſalutem conſequuti ſunt, quos omnes enumerare neceſſarium haud eſſet mihi breuitatem conſectanti, honorarium fortaſſis eſſet, & ſcribendi multi eſſent commentarij. Ex diuerſis regni prouincijs confluxêre, vt requirerent morbi medelam ex familijs nobilium, ingenuorum, tenuiorum oriundi, omnis ætatis, ſexus, ordinis pro ſalute ſupplices facti; ex agris ac pagis, ex municipijs, ex hac vrbe Londino nullis laboribus ſumptibuſué pepercerunt, vt coram

ram eius Maiestate se sisterent. Quot ego vidi audiuique è Borealibus partibus, & agro Eboraceno, è locis Maritimis, ex Australi, occidentali, orientalique parte regionis huius insulæ frequẽtes accurrisse, ex ambabus Academijs, & celebrioribus regni prouincijs omnibus conueniisse, quibuscum ego nonnullis libenter studioseque contuleram, ante & post discessionem ex curia? Reperi autem incredibilem ardorem, fidem adipiscendæ sanitatis, & reapse salutem comparatam beneficio regio intellexi, quosdam iterum postea offenderam; interroganti an morbus recurreret, ingenuè fassi sunt mihi se perdiu saniissimos esse ex illo tempore, liberatosque penitus ab incommoditate morbida. In mea patria ciuitate Exonia neminem latere possunt, qui hodie visuntur ab omnibus, Ioannes Capellus honesti ciuis filius, & Appilini filia, vterque sanati ab hac struma; quorum vterque cùm frustra multa remedia tentauissent, iussi à Francisco Brina Italo, pro Euãgelij professione exule medicinæ doctore peritissimo, vt ad regiæ Maiestatis genua prouoluti certam medelam exposcerent; quod est omnium passim ipsorumq; regiorũ medicorũ cetoroqui in omni parte rei medicæ excellentiũ consiliũ cõmune in deplorato statu huiusce morbi, tandẽ aliquando multis passibus peragratis, domum læti, hilaresq; & piscibus ipsis saniores redierunt. Norunt omnes in oppido Molton meridiem versus Archidiaconatus Barum, conciuem suum

Iohannem

Iohannem Sherlandium, qui hodie viuit, & valet, & palam profitetur honoris ergò, & grati animi officio semper deuinctus, se nullum leuamentum inuenisse aliud quam sacratissimarum manuum regiæ Maiestatis tactum, vnde sibi desperatione fracto salus obtigerat. Nôrim ego quandam ex antiqua familia Turberuillorum fœminam, quæ iam totum decennium curata perstitit ex illo morbo, quam vt aspexeram, quæsiui vbi esset aurum quod collo appendi solebat ex munificentia regia donatum, respondit pudibunda se quia indiga esset, absumpsisse in vsus suos, statim intellexi, aurum nihil esse aliud quam sanitatis symbolum, sanitatem sine auro perduraſſe. Non est opus omnes recensere strumosos perfectæ valetudini restitutos, sic enim in magnum volumen excresceret opusculum nostrum: certum est MAIESTATEM eius multa millia sanasse, velle ac posse infinitiorem numerum sanare, tametsi interdum interpellata precibus vulgi ad impertiendam sanitatem, grauatè concedere visa sit, quod accidit in agro Gloceſtrensi, quũ enim effusa esset plebs ad hoc miraculosũ genus sanationis videndum, siue nouitate, siue curiositate quadam ducta, respondit modestissima ac religiosissima princeps; vtinam, vtinam, (inquit) possem vobis opem & auxilium ferre: Deus, Deus est optimus & maximus medicus omnium, ille, ille est Iehoua sapiens ac sanctus, qui opitulabitur vestris morbis, ille comprecandus est; ô vere diuinam sententiam

scribendam in corde. Ecce MAIESTAS eius vbicunque venit, Deum datorem & fundatorem salutis corporis, ac animæ proposuit sibi ante oculos, posuitque Deum in adiutorem suum, vt (quoties & quando vult,) hac ægritudine affectos solo contactu, & pietatis officio, diuino numine adiuuante, sanet oblatos sibi; vtrum vero omnes an aliquos quæreretur non immeritò, haud existimauerim omnes promiscué, sed certos curatum iri, quemadmodum Iacobi quinto: *ægrotat quis inter vos? aduocet seniores ecclesiæ, & orent super ipsum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & precatio fidei saluabit decumbentem:* qui erant salui, omnes an aliqui? non omnes erant sanati, sed Dominus hunc gratiæ locum dedit, quoties, & quando, & quatenus expedire videretur, præsertim vbi spes erat profectus, oleũ etiam adhibebatur, ita in hoc charismate sanatio, multorum commune erat bonum, non omnium simpliciter, sed eorum præcipue quorũ fides feruceret, ac oratione accenderetur: pars magna hominum curata istius gratiæ beneficio, quasi relabitur in pristinũ morbi statum, pars altera indignã se præstat tam salutari auxilio. Hoc tamen ausim dicere de salutari ista gratia, quod Sanctus Chrisostomus vniuersim affirmat, illa verba exponens, κατα αναλογιαν της πιστεως, id est secundum proportionem fidei, ait enim tametsi gratia sit & ipsa, non tamen simpliciter effunditur, sed mensuram a recipientibus se accipiens τοσουτον επιρρει οσον αν ευρη σκευος πιστεως

Iacob. 5. 14.

Chrysost. in 12. c. Rom. Hom. 20.

κατὰ τὴν πίστιν αὐτῆς, id est, *tantum influit quantum inuenerit oblatum sibi fidei vasculum.* Fide igitur patientium non ponente obicē, vnusquisq; persentiscit gratiā morbo expugnando vtilem & salutarem debitū proculdubio sortientem effectum, Christus enim ipse homo Deus, aliquibus in locis & personis ob incredulitatem, magnas & multas virtutes facere noluit, & non potuit qui cæteroqui omnia in cœlis & terris quæ voluit, etiam potuit: proinde curabilis est hic morbus MAIESTATI eius, etsi non semper curetur, mirabilis certe quandocunq; curetur; curatur autem sæpissimè, & perspicuum est ex confessione strumosorum, ex relatione medicorum, libellorum recitatione, certitudine euentuum, & effectuum admirabilitate, alios confestim, alios celerius, nonnullos tardiùs ad longiorem temporis intercapedinē, quamplurimos ad optimum corporis temperamentum & habitum valetudinis perpetuū sanos & saluos peruenisse.

Dilutio obiectionum, vbi respondetur dubitationibus nonnullorum, contradictionibus Atheorum, vel nouorum Sadduceorum, & calumnijs Phariseorum & maleuolorum.

Cap. 9.

QVia verò nihil tam præstabile vnquam fuit in natura sua, vel opinione hominum, nihil tam ex omni parte beatum, nihil denique tam sacrosanctum in persona sua,

quod non aliquando inuidiæ ventis circumflaretur, ac calumniæ procellis obijceretur, vt vniuscuiusq; tacitæ satisfaciat maleuolentiæ, vel apertæ maledicentiæ mucro retundatur, singulis aduersarijs qui vel dubitando occultè, vel negando perfidé, ausi sint conuellere hoc eximium curationis donum', si non est satis datum responsionis antea, vlterius sed paucis respondebo, quidam sunt qui rem ipsam & substantiam actionis vel vituperant, vel negant, vel tanquam in quæstionem vocant, quidam non rem ipsam, sed circumstantiam, & ceremoniam aliquam accusant, vt ea ratione vniuersam operationem, aut superstitionis, aut cacozeliæ insimulare facilius queant; tertium genus hominum, qui inuidentia, vel fastidio, vel odio aliorum præclaré factorum, & maximarum virtutum, & donorum Dei in media ecclesia plane cæcutiant, quasi in meridiana luce, tantum absunt a gratiarum actione, vel glorificatione nominis diuini, cum videant talia dona dari hominibus. Tripertito igitur incedunt agmine, medioque loco hostes non minus formidolosi, quam prima & extrema acie depugnantes, certorum & solennium verborum formam, & lectionem scripturarum, & appensionem auri & crucisignationem, isti minutuli (si dijs placet) non ferunt, non patiuntur, orationem, & preces in medio cœtu populi Dei, humilitatem, pietatem, eleemosynam, sanationem strumæ frendeant, licet intus, & in cute, ore tamen simulatione

ſimulatione ſaltem aliqua nobis audientibus collaudant, crediderint, nec non diſputo, narrabo quod mihi multorum doctorum iudicia,& acroamata diligentiùs requirenti de hac materia retulerit, vir cæteroqui non ineruditus, nec ignobilis quo modo animo adlubeſceret ſuo, iſtud Maieſtatis regiæ factum, vel potius benefactum, ita ſolenne & celebre in ore omni populo, vtilitate præclarum, re ipſa ſalutare & glorioſum,dixit *aurum eſſe bonum,* repetijtq; *aurum eſſe bonum* beneficium ſanitatis,ne verbulo laudauit, quaſi ſuo ſilẽtio inuolueret,intelligi autẽ voluit eſſe nullũ. Ego contra in tam graui quæſtione totius antiquitatis teſtimonium, ac firmiſſimas rationes vnius homuncionis ſcrupulo opponere me poſſe certò ſciebam,ac in longos ſermones ibam, ille mihi ſolidum, & ſincerum, præter ſuam coniecturam & obſtinationem ſententiæ afferebat. Sunt etiam alij vehementis opinationis eiuſdem, maximèq; finitimi ſunt his qui crucis ſignum magno cum ſupercilio renuunt, eiuſque ſignum non fabre factum, ſed ſine materia vlla, vel aurea, vel argentea, vel lignea factum, tamen ſuper ſtrumoſam partem faſtidiunt, & toto pectore abominantur. Sed crucis ſignum nemo bonus vituperat, eius abuſus omnino accuſandus eſt, potiſſimum cùm Chriſto crucifixo honor qui debetur,ad crucẽ referatur. Quod ſi crucis ſignũ in vitio non ſit,multo minus aurum appenſum, quod nihil eſt aliud quam ſanitatis inchoatæ ſymbolum, & eleemo-

synæ regiæ monumentum,& pignus; quanquam multi præclari medici vim ascripserint periaptis & amuletis, & physica ratione fulcierint; quippe quæ occulta antipathia, aut harmoniaca qualitate operentur; adeoqué â rerum substantia vapores quosdam velut ἀτόμους defluere contenderint: tamen quia aurum ἄχυμον maxime est, vel nulla, vel perexigua erit alligati auri ad morbum congruentia, quantoq; imbecilliorem, minoremquè virtutem habet ad profligandum morbum, tanto in minorem suspicionem, reprehensionemué incurrere oportebit. Scripturarum lectio & euangelij recitatio cui tandem bono prudentiq; viro displicere potest? Verbum Dei est, illud verè alexipharmacum, ac salutare medicamentum, singulis morbis vtile exterminandis, & semper opportunum. Iam vero duo celeberrimi Euangelij loci, alter ad memoriam salutis animarum, alter ad corporeæ sanitatis recordationē inculcandam nobis clara & distincta voce leguntur, ex illa etenim hypostatica vnione duarum naturarum, quod est mysterium salutis maximum, ingens conflatur beneficium animæ nostræ, ex illo infinito thesauro spiritualium largitionum, immensum corporis bonum,& multiplex auxilium comparatur. Quod ad certorum verborum formam solennem attinet, non ea damnanda est, nisi omne verbum fidei impietatis damnare velimus: fides ex auditu est, auditus autem ex verbo Dei, verbum prope in ore tuo est, & in corde tuo, hoc

1 Ioh. 14. Marc.

Rom. 10, Ger. 6 & 17.

est

eſt verbum fidei quod prædicamus, quod annuntiamus. Legitimus igitur verbi diuini vſus cum recta fide coniunctus eſſe debet, nec fides â verbo, nec verbum a fide diſiungendum eſt. Loquimur de fidei verbo, non de faſcino, de chariſmate S. Sancti, non incantamento, de veris miraculis, non Satanæ præſtigijs: Hæc enim omnia condemnamus cum Chryſoſtomo, *Ne qua contumelia oriatur nomini Chriſti ab ijs, qui nihil aliud loquuntur quam Chriſti nomen, & gentilium opera faciunt, & iniuriam faciunt ſummam nomini Chriſtiano, propterea obnixè oro, vt vos ab hac fallacia puros conſeruetis, & tanquam baculum Dei verbum habeatis.* Homil. 21. de mulier. ornat.

Sed quorſum pertineat hæc accuſatio video quidem, nequaquam ceremoniam, ſed rem ipſam attingit hæc accuſatio, totiuſq; defenſionis noſtræ iugulum petit, eſt certum genus hominum, qui nihil laudarent, niſi quod ſe poſſe aſſequi confiderent, eumquè benefaciendi, quem ſibi ſperandi finem proponerent, omnem autem deſperant virtutem, & veritatem ſe aſſequi poſſe, pietatem itaq; & virtutem eius negant, Sadducæis illis veteribus deteriores longè, proinde reijciunt non modo Angelos ſed Deum, nec ſolum ſanctos homines Dei irrident, ſed ſpiritum Sanctum, eiuſque dona, miracula, ſcripturas, ſacramenta, ceremonias eccleſiæ ſubſannant, *quos Deus huius mundi faſcinauit, inimici crucis Chriſti ſunt, quorum exitus exitium eſt, quorum Deus eſt venter, quorum gloria in dedecore ipſorũ, qui terrena ſapiunt.* Hi quidem 3. Philip. 18.

cum

cum omnis veritatis,& verecũdiæ limites transilierint: Deus bone,quibus se tenebris circumfundunt, & sordibus opplent, quibus se dubitationibus complent, quot & quibus se erroribus immergunt? cogitare facilius est quam mihi expedite dicere & pertexere Atheorum historiam. Verecundiores paulo sunt ij, qui huius sanitatis gratiæ hostes occulti cum sint, vel more ακαταληπτικων, semper dubitauerint de re clara, & omnibus omnium sensibus comprehensa controuerterint; vti *Gasper Peucerus*, vel gratiam sanitatis ex dono cœlesti parte alio transtulerint,vel nouam causam reperirint, sicut comminiscitur *Ferrerius* fortem phantasiam,& vim animi nostri operantem. Nollem Peucerum dixisse cæteroqui virum & prudentem & doctum, quod de incantationibus dicit: *Familiare aiunt esse regibus Francorum strumis mederi, vel sputi illitione, aut absq; hac solo contactu cum pronuntiatione paucorum, & solennium verborum, quam medicationem, vt fieri sine diabolicis incantationibus facile assentior: sic vel ingenita vi aliqua constare, quæ a maioribus propagetur, cum seminum natura, vt morbi propagantur, & similitudine corporum, & morum, vel singulari munere diuino, quod consecrationi regno, vel dedicatis contingat in certo communicatum loco, & abesse omnem superstitionem, inanem persuasionem; quaq; hanc sanciunt mirifica euentuum ludibria, non facile crediderim. Etsi de re non satis explorata nihil temere affirmo*, hæc ille de regibus Franciæ, quæ auditione sola,vel commentarijs

Peucer. de incantamentis.

L. 2. method. cap. 11. de Homeric. curat.

ex commentarijs aliorum acceperat, quid putetis censurum fuisse, si præsens præsentem Maiestatem ELIZABETHÆ sereniſſimæ strumis medelam adhibentem prope quotidianam oculis vidiſſet? haud certè inuidiſſet vir eo religionis zelo, quo ferebatur, tam religioſæ principi gloriam tam illuſtrem. Atqui ſine incantamentis fieri facile aſſentitur, ergo fieri non diſſentitur. Habemus igitur quod eſt nobis maxime neceſſarium, aduerſarium confitentem. De facto, etſi non de faciendi modo aſſentitur, nullam veruntamen adducit rationem quare diſſentiretur, ſed aſſenſionem cohibet â ſingulis rationibus, quibus ſanitatem fieri veriſimilius crederetur: non ingenita vi quæ traduceretur cum natura ſeminum (inquit) at multæ Phyſicæ virtutes ſunt ex tradvce, υπερφυσικαι nulla tenus: & ſimilitudine corporum & morum inquit, multo minus; vt enim quæ in ſeminibus ac ſtirpibus reperiantur in propaginibus, & corpus proſeminetur ex corpore, non tamen anima ex anima, & mens ex mente; progenerat ſibi ſimilem omnis homo in ſpecie, non indiuidua qualitate. Minime vero neceſſe habuit dubitare de eo quod fatentur omnes hiſtoriarum noſtrarum ſcriptores, regibus rite inauguratis & Angliæ & Franciæ hoc donum contingere, & quo opportuniore tempore quam ipſo momento inaugurationis obueniret? Quandoquidem Deus eſt qui reges creat, ſacroque oleo vngit diademate inſignienda regum capita, & alia

dona fortitudinis, consilij, prudentiæ, gubernationis suppeditat principibus Christianis. Porrò abesse omnem superstitionis inanem persuasionem mecum fassus esset Peucerus, si publicæ actioni interesse potuisset; valde enim abhoret religio nostra ab omni superstitionis labe, atq; haud scio, an vllus orbis terrarum princeps, aut dynasta infensior sit totis agminibus superstitiosorum hominum, quam MAIESTAS eius, quæ Domũ Dei cum Ezechia, & Iosia ab innumeris corruptelis, ac contagijs repurgauit, & ad ecclesiæ Apostolicæ, & primeuæ non adumbratam imaginem, sed expressam effigiem propinquissimè conformauit. Quod vero mirifica euentuum ludibria appellet Peucerus, miror magis, infinita quædam distantia ostenditur inter futilia miracula, & vtilia sanationum charismata, quibus attestantur, & nostrates & alienigenæ, qui crebrò sanantur a MAIESTATE REGIA, & non possunt non sancire effectuum admirabilitatem; sed quid tandem opus est refutare pluribus vnius hominis vehementem opinationem, non dicam contumeliam, ἀκαταληψίαν non dicam calumniam? ipse a seipso discrepat, & ludit in ambiguo, & admodũ fluctuat, haud facile credit quicquã, & de re non satis explorata nihil temerè affirmat, emendaturus scilicet sententiam suam & mutaturus consilium. Recedamus ab vno extremo, at ne in aliud extremum impingamus, medium potius consectemur. Peucerus tantum discrepat ab

Augerio,

Augerio, quantum Matæologus â Philoſopho, vterque autem a theologo. Loquutus Augerius Ferrerius de Gordonio, alijſq; medicis ſuperſtitioni carminum addictioribus, quæ valerent contra profluuia ſanguinis, comitiales acceſſiones, pariendi difficultates, intermittentes febres, & erraticas, & eius generis morbos complures: *deprehẽdi* (inquit) *curationis huius euentum, non ê characteribus, non ê carmine promanare, ſed tanta vis eſt animi noſtri, vt ſi quid honeſti ſibi perſuaſerit, atque in ea perſuaſione perſeuerauerit, id ipſum quod concepit agat, & potenter operetur, modò alterius in quem agit animum non habeat repugnantem, neque diffidentem: nam ſi etiam fidentem & coadiuuantem habuerit, citiùs quod intenditur perficietur, & ab incantatore vel ſubmurmurante, vel characteribus agente, paulatim dolor extinguetur, quod miraculo non caret; verum confidentia illa, & firma perſuaſio comparatur indoctis alijs, per opinionem quam de characteribus, & ſacris verbis conceperunt, doctis & rerum intelligentiam habentibus nihil opus eſt externis*, ſed cognita vi animi per eam miracula edere poſſunt: qualia de Apollonio refert Philoſtratus, cum in intimum animi receſſum ſe recepiſſet: doctus & ſibi conſtans ſolo verbo ſanabit, aut vt ſimul indoctum animum afficiat, externa quoq; aſſumet: Quam quidem ſententiam, videlicet effectus ſanationum ex conſtanti & firma operantis perſuaſione conſequi diligenter & eruditè confutat Eraſtus, vt mihi hanc nobilem & lemniſcatam palmam præripuerit:

Part. prima. disput. con. Para.

Augerius denique *Ferrerius verbis & characteribus vim adimit quidem, sed in doctis & intelligentiam habentibus; horum animis vim tantam inesse stultissime putat, vt quod firmiter sibi persuaserint potenter operentur, modo animus patientis non repugnet, indoctis per opinionem de verbis sacris & characteribus firmam persuasionem comparari, & horum causa in curationibus adhiberi posse, quo animi eorum diffidentia expugnetur, tolerari hic vir poterat, si solius ægri fiduciam conferre ad morbi depulsionem cum Hippocrate dixisset: cum autem medici constantem firmamq; persuasionem in alieno corpore putat esse efficacem, longè aberrat. Impossibile namq; supra ostendimus, vt actio humana in agente remanens (quam in scholis actionem immanentem scite vocant) aliquid operetur extra agens*, iam conceptiones & persuasiones actiones transeuntes, seu exeuntes non esse qui non videt, oculis animi pariter et corporis priuatus est. Quod si quippiam operetur, quo tandem instrumento extra agens operabitur? ad omnem enim functionē extra agentis substantiam progredientem & transilientē opus est instrumento aliquo, sed instrumentum reperimus nullum: neque enim phantasia imprimit quicquam, sed potius rerum simulachra eidem imprimuntur, nec intellectus vis actiua egreditur foras, vt aliquid agat, quare alteratio nulla est in alieno corpore ex mera conceptione, vel depictione sanitatis in phantasia, vel intelligentia nostra, sicut ille somniat. Sed deprehendi (inquit Augerius) curationis huius

euentum

euentum, & experientiam ob oculos positam cùm viderim quid faciam? deprehendit tamen, non ex carmine, non ê charactere, non ex murmure dimanare sanitatis effectum dicit, hoc est sibi paulum contradicit, namque ex admurmuratione verborum vt indoctus animus patientis afficiatur, celerius edicit, quasi vero homo homini, doctus indocto, hac in re distet. Sed tanta est vis animi nostri, vt si quid honesti sibi persuaserit, idipsum quod concepit agat, & operetur? Cuius animi vis tanta est, aut vnquam fuit, vt ex opinatione vehementi rei honestissimæ ac maximè salutaris opinator aliquis in alio salutem produxerit? Esset hoc facillimum sanitatis efficiendæ compendium: ecquem non haberes obsecundantem tuæ voluntati, vt si inductione animi sui sanus esse cæpisset, saluus nõ esse nõ posset. Ne sim longior in tam inepta refellenda obiectione beneficium sanitatis, quod quæritur hoc in loco non est positum in natura, sed in gratia, nec in potentia hominis, sed omnipotentia Dei, nec in humana confidentia, sed in fidei πληροφορίαε, & in fiducia specialis misericordiæ, quamcunq; respexeris siue vim, virtutemue agentis, siue patientis fidem. Postremo non est eius MAIESTAS tam curiosa, vt interroget vtrum omnes aduenientes credant, & confidant; cum certum sit vnumquemq; esse de numero credentium, tantum orat pro eis, & imponit manus, & sanitatis impertit tantum, quantum recipit fidei vasculum, ex

quo eſt conſequens, vt alij celerius, alij tardiùs (prout Deo viſum eſt) morbi inueniant leuamẽtum. Atqui ridiculos hoſce homines mittamus orationis acuminibus, ne compungendos quidem ad inuidos, & phariſæos potius accedamus, quorum oculorũ aciem perſtringit hic ſplendor miraculorum in Inſula noſtra principum noſtratium. Genebrardus Pariſienſis haud negat prorſus iſtud ſanationis donum eſſe quiddam proprium regum Angliæ, *Sed dicit eſſe aliquot Regum* & temere quidem. Vult igitur forſan aliquorum eſſe regum, & aliquorum non eſſe: Debuerat ſane diſtinguere Genebrardus, ac oſtendere aliquot eorum, qui hac gratia ſanandi caruerunt: Inuidioſa certe oratio hominis peregrini & hoſpitis in republica noſtra; nec minus odioſa narratio, qua ille magnus aſſentator eccleſiæ pontificiæ vtitur, ſibi ſuiſque abblandiens, ne vmbram vnius ſaltem veri miraculi inueniri apud eos, qui diuerſam ab ipſis doctrinam annunciarint; & amplius quærit, agens de ſacris antiſtitibus olim in Britannia fidẽ catholicam miraculis probantibus, *quænam ſit putanda catholica fides, & in ſanctorũ cultu pia traditio, num ea quam ſanctiſſimi epiſcopi, ſequentibus ſignis Dei teſtificatione docebant, an quam in demolitione martyrum ſepulchrorũ, in eadem Inſula fæx hæreticorum hodiè vi armorum & carnificina ſanctorum extorquet? ſed quis corriget quos Deus deſpexit?* Hæc ille maximus calumniator contra nos vibrat conuitia, cuius calumniæ refutatio facilis eſt. Eſt

In Chronol.

Ceſ. Baron. Annal. eccleſ. tom 5. an. 429

ea

ea fides catholica, quæ diuinis oraculis comprobatur, non quæ ex hominum miraculis fallacibus teſtimonium accipit, & ea catholica eccleſia, quæ ex ſcripturis aſſeritur, quæque ſanctiſſimi viri patrant miracula, Chriſti nomen inuocando, & fundamentum retinendo, non ſunt recuſanda: *quæcunque talia in catholica fiunt, non ideo ipſa manifeſtatur eccleſia: quia hæc in ea fiunt.* Miraculorum nulla neceſſitas eſt, vbi fidei dogmata ſcripturarum veritas manifeſtat: quod ſi olim Antiſtites contra Pelagianos ad delendam ex animis hominum iniquam perſuaſionem miraculo contenderint, & reliquiarum capſula cæcæ puellæ oculis applicata lumen reddiderit, haud ſequeretur veritatem ab eorum partibus ſtare, hoc enim potius incumbebat illis, vt ex ipſis ſcripturis veritatem arceſſerint ad firmanda fidei dogmata, quanquã & hoc miraculum acceptum referri debet inuocationi trinitatis, ſi forte tale vnquam extabat miraculum in rerum natura. A veſtris autem pſeudocatholicorum miraculis, perinde ac Donatiſtarum olim ſignis fallacibus, & Satanæ præſtigijs, quia fiunt in eccleſia catholica (vt vos gloriamini) magis magiſque de induſtria cauere debemus, præſertim ita repugnantibus analogiæ totius fidei, ac ſcripturarum veritati: Fides porro Chriſtiana quam nos hodiè hac in inſula profitemur, non in demolitione ſepulchrorũ, martyrũ, nec in carnificina hominum verſatur, nec illa fides cogitur: cæterũ in facineroſos

Auguſt. de Genſt. eccleſ. c. 16

Auguſt. de moribus Cathol. eccleſ.

facineroſos ciues,& læſæ Maieſtatis, & violatæ religionis reos animaduertere, & poſſumns & debemus; memoriam martyrũ debito cum honore recolimus, ſepulchrorum eorundẽ martyrum, & picturarum adoratores cum Auguſtino & amolimur, & amandamus, fidem autem ſignorum non damnamus, modo ſigna non fiant ad confirmationem errorum, ſicut a vobis iamdiu factum eſt operarijs malis, ſed ad illuſtrandam Dei gloriam, & ad collaudandam eius gratiam, quam cernere eſt tanquam in meridiana luce in hoc nitore Anglicanæ eccleſiæ, quem tamen homo elegantulus fæcem hæreticorum appellitat, fretus intemperantia linguæ ſuæ, epotiſq; aurei calicis, Babylonis fœcibus, omneſquè nos præ ſe deſpicatui habet, vtpote Deo exoſos plane ipſe ab omni honeſtate derelictus, & flagris dignus inclamat, & ne vmbram veri alicuius miraculi habere nos ipſe in vmbraculis ſuperſtitionis altus & educatus, & fulgorem ſolis iuſtitiæ non ferens vociferatur. Vmbratilia profecto miracula non habemus, veracium miracũlorum multitudinem obtinemus per Dei gratiam, eorundemque magnitudinem propiore oculorum obtutu cernimus, videlicet ingentia miracula diuini ſauoris, ac gratiæ, miſericordiæ, prouidentiæ, clementiæ erga nos per manum ſereniſſimæ Reginæ aſſidue contemplamur, in dieſq; nouas gratulationes,& exterorum, & ſuorum ciuium tam conſeruatæ eccleſiæ, quã bene geſtæ reipublicæ, & ſupplicationes omnium

um Deo prępotenti factas, auribus noſtris inſonantes intelligimus, præſenteſque præſentem intuemur in media eccleſia maieſtatem eius, cæteris omnibus fœliciùs multo, ac longè diuinius morbis opitulantem, non *ſeducentem aliquem, nec pecuniã ei auferentem*, cum potius ipſa det eleemoſynam aliquam, *nec inuocationibus angelicis facientem aliquid, nec incantationibus, nec aliqua praua curioſitate, ſed mundè & purè & manifeſtè orationes dirigentem ad Dominum, qui omnia fecit, & nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui in virtute ſecundum vtilitates hominum perfecit*, impoſitione ſacratiſſimarum manuum ſuarum, ſolo & ſimplici contactu morbidarum partium, abſq; omni ſuperſtitione, ſicut *animam puram ſanctamq; & afflatam diuino ſpiritu* decet, ſtrumoſos eiuſmodi aduenientes mirabili operatione, ſed integerrimè, perfectiſſimèq; ſanantem. Quod quidem curationis genus, & ſanationis donum diuinitùs conſecratum, & poſteritati commendatum omnes ſcimus, & non vnius regis ſolummodò, vel aliquot, ſed omnium Angliæ regum, quaſi hæreditariũ munus, hoc eſt genuinum ac proprium fuiſſe, ac eſſe, maieſtatemq; eius quæ nunc regnat, optimo iure idipſum ſibi vendicare certo certius cognoſcimus. Cum autem multa ſuffragantur religioſiſſimæ ELIZABETHÆ principi noſtræ, & ſua excellens virtus, regium ſtemma, Apoſtolicarum curationũ antiquarum ſimilis gratia, tum & religio teſtium tam indigenarum, quam alienigenarum, libello-

Irenaus. lib. 2. c. 58.

Origen. contr. Celſ. lib. 2.

rum numerus assiduus, strumosorum ipsorum confessio & relatio fide digna, aduersariorum vera vox, præconium orbis terrarum, effectuum certitudo, & euentuum admirabilitas, & gloria quam ipsi vidimus attestatur; ac (vt opinor) nullus orbis Christiani Princeps dignior esse potest maiore gloriæ ac gratiæ cumulo principe tali, quæ suos mores ad veram sanctimoniam, totamq; ecclesiam ad similitudinem & germanitatem Apostolicæ & primæuæ ecclesiæ conformauit.

Votum Auctoris pro salute Principis.

Cap. 10.

QVare gaude tuo isto tam excellenti bono (ELIZABETHA Princeps clarissima) & fruere cum fortuna & gloria, tum etiam natura, & moribus tuis, ex quo quidem maximus est fructus, iucunditasq; Christiano Principi. Cætera cum tua recordabere, etsi persæpe virtuti, tamen plærumq; fœlicitati tuæ congratulabere. De nobis omnibus Maiestatis tuæ subditis & seruis; quos iamdiù saluos in republica, florētes etiã conseruasti, quoties cogitabis, toties de maximis tuis beneficijs, toties de incredibili liberalitate, toties de singulari tua sapientia cogitabis; de alijs quos innumerabiles sanos in ecclesia reddidisti,

quoties

quoties cogitabis, toties de fide, charitate, eleemosyna, misericordia, reliquisq; nõ modo officijs, sed etiã beneficijs christianitatis cogitabis. Quæ non modo summa bona, sed nimirum audebo, vel sola dicere, quorum tantus est splendor in Christiano ore & pectore, vt ad maiestatem in terris, diuinitatis aliquid accessisse videatur. Noli in curandis ac conseruandis tuis, in ægris & egenis Christiq; pauperibus subleuandis, noli (inquam) defatigari; nihil habet natura tua melius, quam vt velit, nec diuinius gratia, quam vt possit conseruare quamplurimos: Nulla de virtutibus tuis plurimis nec gratior, nec admirabilior misericordia est; Homines ad Deum summum medicum nulla re propius accedunt quam salute hominibus danda. Ille Iesus Christus saluator, & medicus corporis ac animæ tuæ, tanto plures annos ætati additurus est tuæ, quanto tu pluribus morbosis medebere: vt autem ciuibus tuis ad immensam temporis longitudinem mederi possis, te sanam perdiù saluam semper summis votis exoptauerimus. Tua salutis cautio nostra cautio est; & quis est omnium tam ignarus rerum, tam rudis in republica, tam nihil vnquam nec de sua, nec de communi salute cogitans, qui non intelligat tua salute contineri suam, & ex tua vnius, vitam pendere omnium? Tuæ MAIESTATIS incolumitas â morbo, & a malo pontificio, & a malorum orbe tuos explicat, & a malorum morum contagi-

one morbida, hæreseos, & schismatis liberat, sub tuis auspicijs exercitum fortem, populum fidelem, florentem rempublicam, pacatam ecclesiam, Oceanum tranquillum, classem inuictam, insulam beatam habituri sumus, quæ omnia, & Maiestati tuæ, & nobis Deus optimus maximus quã diutissimè concedat.

PRECATIO APOSTOLICA

Act. 4. ver. 29. & 30.

DOmine da seruis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum in eo quòd manum tuam extendas ad sanitates, & vt signa, & prodigia fiant per nomen sancti filij tui Iesu.

ORATIO OMNIBVS HORIS DICENDA pro Elizabetha Serenissima Angliæ Regina.

OÆterna veritas, & vera charitas, & chara æternitas, precamur te (clementissime Domine Deus, ac Pater noster) per vnigenitum filium tuum, illuminatione & sanctificatione spiritus paracleti loquentis in nobis, & gemitibus inerrabilibus interpellantis pro nobis, omni loco & tempore comprecamur, manus puras eleuantes pro incolumitate Religiosissimæ Dominæ, serenissimæq; Elizabethæ Reginæ nostræ, Ancillæ Maiestatis tuæ, nutricis ecclesiæ amantissimæ: offerimus tibi preces nostras, communia vota nuncupamus, manus expandimus in atrijs tuis, in sanctuario tuo, in concilio sanctorum

ctorum tuorum ora ac pectora euoluimus, & corda explicamus. Tu pater currus & auriga Iſraelis, curruum tuorum ſunt duæ myriades, multa millia angelorum. O paſtor Iſraelis auribus percipe, ductor Joſephi tanquam gregis, inſidens Cherubinis, illuceſce nobis, Iudicia tua in miſericordia *inſtar Abyſſi magnæ, iuſtitia tua inſtar montium maximo-*
Iacob 2. 24. *rum, & tamen miſericordia ſuperexaltatur iuſtitiæ, quia miſericordia tua a generatione in generationem. Tu dediſti miſericors Deus*
Pſal. 60. *noſter timentibus te vexillum, quo vterentur propter veritatem, & vexilliferam euangelij* Elizabetham *ſeruam tuam poſuiſti in me-*
Pſal. 71 *dijs agminibus tuorum: Incuruabunt ſe tibi omnes Reges terræ, omnes gentes ſeruient tibi; inter Reges Oceani, & inſulanos munus redditura tibi, inter Reges Reginaſq; Shebæ & Sebæ allatura eſt tibi* Elizabetha *famula tua. Serua quæſumus benignitatẽ cum ea, & fœdus diſpone, & ſolium eius vt dies cœlorum, & conſerua eam tanquam pupillam oculi tui illæſam, ac ſub alarum vmbra cuſtodias, caſtra metẽtur Angeli tui circa eam, et excubias agant pro ea interdiu ac noctu: Illi ne noceat*

Leo

Leo rugiens, Lupus rapax, vulpes fallax, dolosus Achitophel, prouideto: Benedictionũ etiam terrenarum ac ſpiritualium numero adaugeas magis magiſq́, ſanitate corporis, & ſalute animæ perpetua ornes, & annorum longitudine cumules: Scribe nomen eius in palmis manuum tuarum hac in vita, et pro futura in libro vitæ conſcribe. Da pacem in diebus noſtris Domine, adde ac largire eius imperio Halcyonios dies innumeros, annoſq́ Neſtoreos, vineamq́ tuam eccleſiæ, cuius vinitorem conſtituiſti principẽ noſtrã, intuere e cœlis, ac reſpice, ac viſita vitẽ hanc, & ſurculum quem opera eius plantauerat dextra tua, ſaltem reſpice ad propaginem quam fortificaueras tibi, vitem ex Ægypto tranſtuliſti, expuleras gentes vt plantares eam, feceras vt radices ageret, & impleret, operirentur vmbra eius montes, & palmitum eius cedri maximæ, ne perrumpant eius maceriam, adeò vt carpant eam omnes viatores, ne ſuffodiant eam porcus ſylueſtris, & animal agreſte depaſcat eam, id eſt roſtro impuriſſimæ gentes proruant, & a ſummo ad imum eradicent. Veniat igitur exoratio noſtra ante altare tuum in domum tuam: ſint Pſal. 80

oculi

1. Reg. 8. vers. 29

oculi tui aperti erga vineam hanc, erga locum illum, de quo dixiſti futurum eſt nomen meum ibi. Ecce inimici tui perſtrepunt, & oſores tui extollunt caput contra principem, contra populum tuum, callidè ineunt conſilium, & pepigerunt fœdus contra te ſollicitatione Senacherib, tentoria Edom, Iſmael, Moab & Philiſthim cum habitatoribus Tiri, etiã Aſſyrius adiunxit ſe ijs ſicut brachium poſteris Lot, fac vt ſint ſicut Madiã, vt Siſera, vt Iabyn in torrente Kiſon, qui exciſi ſunt ad Endor, facti vt fumus terræ, redige principes eorũ vt Oreb, & Zeb, Zebach, & Tzalmanah, omnes Toparchas eorum, qui dicunt, hæreditariò poſsideamus nobis habitacula Dei. Diſſipa O Deus conſilium eorum; effunde æſtum tuum in eas gentes, quæ non agnoſcunt te, & ſuper regna quæ nomen tuum non inuocant, quia polluerunt templum ſanctitatis tuæ, & effuderunt ſanguinem velut aquam circa Hieruſalem, & in gentiles noſtros, gentiſquè noſtræ principem, tanquam in miſericordiæ vaſa effunde gratiam, & gloriam ſpiritus tui. Fatemur quidem miſelli peccatores qui ſumus, non ſumus digni tot & tantis miſera-

Pſal. 83

tionibus

tionibus tuis, principe tanta, & tali, & indigni ſumus. Sed etiamſi iacuerimus inter ſtrues lapideas, redde cutim noſtram ſimilem alis columbæ tectæ argento, cuius alæ ſunt ex fluuo auro. Edificá locum quietis pro arca fœderis euangelij, pro ſcabello pedum tuorum in Regno Elizabethæ *principis noſtræ, ipſamq; fidei defenſorem, tutorem eccleſiæ Britannicæ, annoſam matrem in Iſraele cœleſti manu protege, propter Chriſtum tuum ſaluatorem noſtrũ, cui cũ ingenito patre & S. Sancto*

ſit omnis laus, honor et gloria
in ſecula ſeculorũ,
Amen.

S

Errata ſic corrigenda.

Pag. 11. lin. 5. muta p. 40. l. 23. concedet. p. 43. l. 15. refumebant, ægroti. p. 48. l. 22. curabatur p. 49. l. 1. cum. p. 52. l. 9. occurriſſet. l. 22 dicturam. p. 87. l. 26. oratio p. 122. l. 12. partæ.

FINIS.